605936-7
Racc. Vill. Bª C 6

IN SVEVORUM
ET
BEATI CALA'

ADULTERINAM HISTORIAM

ADNOTATIONES

LATINE REDDITAE.

BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
RACCOLTA
VILLAROSA
Bª C
6
NAPOLI

ROMAE
IN TYPOGRAPHIO PALEARINIANO
MDCCXCIII.

PRAESIDIBUS ANNUENTIBUS.

BIBL. NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III"
NAPOLI

MONITUM.

Haec, quae latine scripta sunt, scias velim humanissime Lector, ex iis italis adnotationibus educta esse, quas Paullus Antonius Paoli Romanae Academiae Ecclesiasticae Praeses Clarissimus nuper typis jam dedit. Cum igitur nonnulli sapientes Viri putarint, operae pretium fore, si adnotationes istae doctissimi Auctoris in formam latinam redditae ab exteris hominibus facilius intelligi possent; nulla mora adductus sum, ut susciperem, quod a multis optari videbatur. Cave igitur ne mihi quid gloriae tribuas, quem interpretem tantummodo ejus Viri noveris, cujus plura jamdudum, eademque gravissima sunt merita in omne genus litterarum. Me autem unum, si quid vitii occurrerit, reprehende, si libet, nec mihi, si quid offenderis boni, aliud esse in votis credito, nisi ut exstet exiguum hoc meae voluntatis specimen in optimas, quas valde veneror, et admiror disciplinas.

Vale.

Digitized by Google

I M P R I M A T U R.

Si videbitur Reverendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

F. X. Paſſeri Arch. Lariſſen. Viceſg.

I M P R I M A T U R.

Fr. Th. Vincentius Pani Or. Præd. S. P. A. Mag.

Digitized by Google

NUllum reor e superiorum temporum memoria opus proferri posse, vel concinniori ad fallendum arte elaboratum, vel ad errores, et scelera inducenda magis idoneum quam illud quod cum rebus omnibus absolutum eſt, eoque exornatum artificio, ut egregiam quamdam veritatis speciem praeseferat, et stultis interea, atque impiis rationibus undequaque scateat, tum contumeliae, atque impudentiae fama notissimum est, tresque dispertitum in tomos, quorum primus ita habet inscriptum pro titulo ,, Historia Svevo-,, rum in acquirendo Regno Neapolitano, ex Typographio ,, de Bonis MDCLX. ,, Duo vero consequuntur tomi, quibus illustrius elucent ea, quae in priori narrantur, documentis subinde allatis, & proditis teſtimoniis. Hi latine inscripti sunt ,, De gestis Svevorum in utraque Sicilia, et ,, de bello cum Normannis &c. Militiae Principibus Joanne Calà postea Beato &c.Neapoli ex Officina de Bonis MDCLXV.,, Machinatio vero omnis id unice moliri videtur, ut duos Fratres fictos quidem, in vulgus, mediamque lucem proferat; hos ex Regia Svevorum stirpe deducat, Enrico VI. Caesari, multisque Principibus saeculo XII. clarissimis sanguinis annuat propinquitate conjunctos, belloque extitisse pugnacissimos ostendat viros, quorum uni Joanni, alteri Henrico no-

nomen, utrique cognomentum Calà. Qui primus post patrata in Bello facinora nobilissima, repente studio pietatis, ac religionis adductus in solitudine latitavit; illic mirabili quadam vitae castitate, et ratione, superata naturae vi, patefacto futurorum exitu, scriptis editis prope divinis, praeclarissimus suae aetatis hominum evaſit. Hinc Virorum Principum, religionis Antistitum gratia fertur extitisse nobilissimus, hinc factum est, ut ad eum quinque Pontifices Opt. Max. veluti oracula petituri legationes etiam mitterent.

Ferdinandus Stocchius Sacerdos, et Eques Cosentinus sycophantiæ hujus Auctor princeps fuit. (1) Quamquam in operis fronte nomen inſit Marchionis Karoli de Calà Regii Neapolitani conſilii Præfecti, qui ſingulari juris scientia atque in Deum pietate clarus habebatur. Non unus vero Stocchius in hoc opere conficiendo tam diuturno, tamque implicato; sed plures adsciti socii, quorum unus ita malefacti conscientia angebatur, ut mendacium, et quo pacto exorsum esset, patefaceret. Quod nisi divinitus plane evenisset, expediundae rei difficultate, futurum fuisset, ut vulgo invectum, et civilium, et sacrarum probatum opus rerum deturpasset historiam; cum res innixa sit omnis codicibus, seu typis editis, seu m. s., effictis tamen omnibus, *rara plane arte* (ut ait Zavarronius) *et ad exactas, tum historiae, tum chronologiae regulas accommodatis*. (2) Detectam fraudem, ut dicturi erimus Innocentio XI. Pontifice O. M. Sacra Inquisitio diris et flammis devovit; Paucissima idcirco supersunt hujusce libri volumina, et ob raritatem ipsam suam pretiosa ab eruditis habentur.

Fuit

(1) Vide Eglyz Histoire des deux Sicil. Tom. I. pag. 57. in not. Spiriti Memor. Scriptorum Cosentin. pag. 150. not. Aceti notae ad Bartium de Antiqu. Calab. p. 406 Sorias Memor. Script. Neapol. V Calà pag. 112. Vide insuper notam 4.

(2) Biblioth. Calab. pag. 165. V. Incognitus.

Fuit quippe Stocchius, ut totius operis textura nos docet, summo ingenio vir, magna vi mentis, animo audax, cujuslibet styli vaferrimus simulator, diverso aevo congruentium characterum effictor, quique optimus me judice extitisset, si elucubrasset inscriptiones, numismata cudisset, schediasmata quaeque alia, seu prorsa, seu vorsa dictione composuisset. (3) Quam omnem mentis audaciam, omnesque animi vires eo turpissime intendit, ut Praefectum Regii consilii falleret, adeoque amicitiam potentissimi viri, magno sibi usui futuram, compararet. Nihil tamen consilio suo fore aptius ratus est, quam si opus instrueret quod Gentem Calà nobilissimam, aeque ac vetustissimam, Heroumque serie profulgentem, immo etiam cum Imperatoribus et Principibus viris propinquitate conjunctam ostenderet. Pergratum id quidem Praefecto contigisset, qui charus apud suos, summis in Urbe Neapoli fungebatur honoribus, ejusque religioni, et pietati jucundum, si inter gentiles suos quis fortasse adesset, qui ob pulcherrimas virtutes beatus diceretur; Divorum fortasse in numero Pontificiae Sedis judicio labentibus annis adscribendus. Evenit itaque ut callidissimo sermone, in spem, fiduciamque induceret hominem id probari posse antiquis libris, parumque notis, authenticis manuscriptis in bibliothecarum pluteis delitescentibus, ac pene oblitis, lapidibus immo, numismatibusque, quibus de rebus omnibus scire se aliquid testabatur, utpote qui hisce jamdudum studuisset, et archivia Calabrum et pluteos Monasteriorum perlustrasset. Necesse autem sibi videri ajebat, ut ab immodico censorum impetu sarta, tectaque omnia essent per

(3) Fanaticus hujusce cogitandi modus clarius apparet ex operibus Typis suo nomine datis: idest. Carmina &c. *Portentoso decennio*, Astrologicum opus, Cosentiae apud Mojo, et Russo 1655. in 8.

per Europam circumire, frequentissimas bibliothecas investigare, exploratissima documenta reperire, exempla denique inde sumere. Deceptoris animus, audax, subdolus id primum viro ingenuo propinavit, perquam facile esse rem rite detegere. Ille vero se ad quodlibet impensae genus paratissimum obtulit (4). In quodam primi tomi hujusce operis exemplo, quod compactum anteacto labente saeculo apparet, atque ideo fortasse synchronum, adnotatum legimus, fabellam hanc viginti quatuor aureorum millibus Praefecto constitisse.

Nec minoris esse fortasse poterat, ut plurium cupiditas expleretur, atque tot, tamque diversa conficerentur monumenta, quae diuturno, et complexo labore ita efformata erant, ut doctissimos quoque fallerent. Nec enim rude ingenium, sed cauta doctaque inerat mens consilii Regii Praefecto, qui seu verbis, seu affirmationibus decipi facile non potuisset; verum documenta erant illi demonstranda, quae veritatis notas apertissime praeseferrent. Itaque Stocchius primum duos libros effinxit; quorum seu papyrum, seu typum, seu characteres si inspexeris, simillimos ceteris iis dices, qui decimo quinto exeunte, vel sexto decimo ineunte saeculo editi fuere: annis nempe MCDLXXIII. et MDIX. Ex quibus cum Europam peragraret consulto dispersis, unum exemplum Neapolim revocavit, ut Regio Praefecto illud sisteret. Manuscriptos deinceps adstruere caepit; qui ut celebratissimi, atque fide omni haberentur dignissimi, dum bibliothecas invisebat (quibus in locis audacia, et liberalitate, quae duo plurimum valent, facile omnia scrutabatur) ipsos inter Codices

(4) Sorias in cit. Memor. Tom. II. p.676. inter adjectas adnotavit, Stecchinum Typis Juliani Neap. 1779. Vitam Stocchii edidisse, per quam non ab ipso, sed ab aliis arguit machinationem hanc exorsam fu sse. Ego tamen ibo in sententiam auctor. cit., quae communior est. V. in fin. not. 138.

Digitized by Google

dices insinuabat, simulque immiscebat, unumque in Vaticana, alterum in Angelica, quae inter nobilissimas Romae habentur, adstruere valuit. Et exinde probatissimo quoque judicio educti fuere. Inficias quippe nequibat iri, quin documenta haec omnia verissima, aeque ac probatissima existimarentur, quippe quae ex amplissimis bibliothecis eruta essent. Factum hinc est, ut hisce praesidiis innumera prope alia opuscula, fragmenta, diplomata, schediasmata, quaeque alia, in bibliothecarum, et archiviorum seu publici, seu privati juris per Neapolitanum Regnum pluteis reperta, quae plura centenis sunt omni fide digna viderentur. Haec sane omnia, et sibi invicem, et cum superius adductis apprime conveniunt, utpote quae eodem patre nata; quibus hisce in tomis typis editis, id suopte ingenio Stocchius conatur adstruere, ut quaecunque, seu de gente Calà, seu de ambobus item Fratribus dicta sunt verissima videantur. Quin immo de primo horum potissimum, qui nonnisi Beatus perpetuo audit, dignissimus quidem esse affirmatur, qui Sacrosancti Pontificis decreto in coelesti Sanctorum numero gloriosius conscribatur.

Atqui tamen cum constet nonnullos auctores eo tempore, quo Romae decretum prodivit, primas tantum callidissimi hujusce facinoris (5) notiones patefecisse, quin aliquid de modo exordiundi operis edixerint, neque de iis quae seu typis edita, seu mss. prodière meminerint; ne commenta haec putidissima partim authographa credi olim possint, et veterum anecdotorum, seu librorum catalogis fortasse immisceri: operae pretium fore puto pedetentim nonnulla, et diligenter adnotare. Scito igitur multa esse monumenta, e qui-

b bus

(5) V. supr. n. 2. et Bayle Dict. V. Inn. XL., et Ben. XIV. de Canon. SS. L. 2. cap. 8. n. 6.

bus fabella haec, de qua agimus educta est. Principem haec inter sibi vindicat locum brittanni cujusdam opus latine redditum, quod ita habet inscriptum: *Processus vitae Joannis Calà, auctore Martino Schener ejus contubernale, Ovaldo Schener Fratri Britanica lingua descripta, demum ab Aureliano Kerklen ad latinum idioma translata. Datum Tifer, apud Demetrium de Kakoner.* (6) Exiguum hoc opus compositum, typisque inter Calabrum latebras editum, inductum est tamquam gravissima e transalpinis regionibus trasmissa merces. Neque tunc suspicio exorta fuit ulla, seu poterat exoriri, falsum fictumque id esse, aut omni fide ac auctoritate dignissimum non habendum. Solers siquidem, atque industrium vitae, virtutumque specimen viri in bello, ut scriptum erat pugnacissimi, postea vero Beati opere in hoc proponitur: idque ab uno homine contextum, ipsi necessitudine juncto, quique ipsius morti adfuit, et tumulum defuncto fecit, et tumulo ementita, ut dicemus, ipsius ossa obtinenti carmen quoque suum, titulumque superaddidit.

Editus ejusdem furfuris est liber alter, qui e Gallia fertur, pervenisse, quique XII. saeculi auctori cuidam aliis jam operibus noto inscribitur, Joanni nempe Bonatio. En Titulus: *De rebus fortiter gestis a Joanne Calà, prout retulit mihi Joanni Bonatio Florensi Martinus Schener ejus Discipulus. Heduae* MDIX. (7) Luci publicae datum hoc opus fuisse fingitur a quodam Roberto Caveto; qui in operis proloquio, se illud ex Bonatii authographo excerpsisse testatur; quique plurimis item laudibus de Calà nominat, sibique asserit mira multa ab eo patrata innotescere. Tertium hinc exurgit testimonium e Typographi verbis educendum. Quae vero, et quan-

(6) Vide Tom. Ital. pag. 151., et 148. (7) Tom. Ital. pag. 126. sine Typographo

quanta, seu mirabilia, seu prorsus irridenda opus illud supra quam credibile est, complectatur non alienum erit a nobis aliqua saltem ex parte explicare.

Jam vero libris hujusmodi in lucem editis pone venere mss. qui in nobilissimis bibliothecis Romae adservabantur. Ille primo occurrit, quem erutum ex Angelica bibliotheca, testibus, solemniis, omnibusque, seu juris, seu legum formulis adhibitis ab Odoardo Vecchiarellio A. C. anno MDCLVI. duodecimo Kal. Februar., ita inscriptum pro titulo habet: *Vita, gestaque Joannis Calà descripta a D. Angelo Primo Cisterciensi ad patrem Faustum heremitam*. (8) Octo foliis constat hic totus, et corio tectus invisitur, in quo summa quaeque admiranda, ac pene incredibilia ab Joanne patrata recensentur.

Etio Mangerio opusculum aliud tribuitur; quod *de mundi contemptoribus* titulum habet inscriptum, (9) ut in opere memoratur, quodque injectum in Vaticana bibliotheca, fortasse ibi hactenus delitescit. Diu tamen, seduloque opus hoc conquisitum ab quodam Francisco de Luna, quem scripta omnia occupaturum miserant, quae prius fuissent in bibliothecis injecta, detegi nullo pacto potuit. Immutata fortasse exiguo operi sede, quam Stocchius suis ipse manibus statuerat, ut reperiri facilius posset; seu ob tenuitatem in tanta mss. congerie pessum isset; seu quod ea destinueretur ipse de Luna garrulitate, et loquacitate, per quam Stocchio aperiendi plutea omnia codicesque scrutandi facultas apprime fiebat; utut denique sese res habeat non hoc typis excusum nobis est monumentum. Accersitur tamen ejus auctoritas relatis

b 2

(8) Tom. Ital. pag. 144.

(9) Tom. Ital. pag. 99.

Digitized by Google

latis verbis, (10) atque etiam spes in animis erigitur operis quandocumque tandem reperiundi. Quae omnia ut vera credantur scire oportet, inter memorabiles Justiniani Epistolas, (11) unam adesse ipsi datam ab Praefecto Calà, seu a quodam alio simulato nomine Id. Octob. MDCLXII. qua cum ipsum deprecatur, libellum de Svevis, sive editum sive mss. si quo pacto e Vaticana in quo delitescebat bibliotheca posset elicere, mitteret ad se, quem sciret quovis auri pondere pretiosam supellectilem redempturum; at vero non patet an eum compertum Justinianus habuerit.

Ad opus conficiendum liber alter mss. apprime conducebat; quippe qui testem complectitur de iis omnibus, quae fatidico ore divinitus ipse Joannes, efficta beatitudine donatus jam patefecerat. Illum vero conscriptum fingunt a quodam Lucio de Donato hoc titulo: *Tractatus Lucii de Donato, de Spiritu Prophetiae quem tradidit Altissimus Beato Patri Joanni Calà*. (12) Exiguum hoc opus triginta sex paginis pergamenis compactum, Cosentiae, ex Monasterio Pietatis nuncupato effossum traditur, a quo cum solemniis omnibus VI. Kal. Jun. MDCLVI. exemplum fuit exaratum (13). Sed maxime hujusce operis testimonium deceptor appetebat, quod jubente Leone a Matera Martoranae Ecclesiae saeculo XIII. Antistite, ab Lucio ipsius Beati assecla conscriptum esset, qui uti Lazarus quatriduo ante defunctus ad novam ab ipso vitam revocatus jam fuerat (14).

Alio tandem tenui opere mss. recensito, quod eumdem Joannem Bonatium exarasse dicunt, primus scriptorum catalogus absolvitur. Latet nos quippe ex quo, favente fortuna

(10) Tom. Ital. pag. 83.
(11) Tom. III. Epist. CXV. pag. 574.
(12) Tom. Ital. pag. 163.
(13) loc. cit. pag. 171.
(14) Angelus Primus Tom. Ital. pag. 150. et in catalogo oper. statim ante initium ejusdem vol. Ital.

Digitized by Google

na prodierit archivio; de fide tamen atque veritate ipsius dubitari non posse obtestatur, quod cum documento Roberti cujusdam de Donato (quem, quis sit nescimus) (15) compositum hocce opus, ipsi numeris omnibus apprime respondet. Hic titulus fronti operis inest; (16) *Opusculum Joannis de Bonatio: de Prophetis sui temporis ex occasione cujusdam oraculi ad instantiam Herrici Imperatoris peracti mss.* Horum vero omnium celeberrimum monumentum illud esse dicam, quod detectum cum fuerit, quando jam typis primus tomus edebatur, (17) catalogo inscribi non valuit; atque ideo in operis calce nominatum reperitur. Monstruosa quippe, ac ridenda continens Joannis Vaticinia id tituli profert: *de Visionibus, et Vaticiniis*: Quis aedepol de admirando hoc opere inficias ibit, si scriptum fuerit jubente Innocentio III. P. M. ut dicunt? (18) Seu quis etiam, non esse quaqua versus omni fide dignissimum, absolutumque numeris omnibus blaterare valebit, quippe quod Lucius de Donato, in mss. de quo superius diximus, aperte meminerit, et Joannis Bonatii (19) exploratissimae auctoritatis opere confirmetur? Haec sane sunt prima monumenta in tomo vernaculo sermone scripto, contenta; qui tot Joannis patrata in bello facinora primo complectitur, portentosamque deinde seriem ejusdem sanctissimae vitae, ut primum sese ad pietatis instituta applicaverat, atque in spatia secesserat sylvestrium locorum.

Neque vero hisce ausis callidus Sycophanta acquievit, plerisque immo aliis, quae vetustatis notam haberent monumentis historiam illustrare contendit suam. Magno quippe bo-

(15) loc. modo cit. Cat. oper.
(16) Eod. loco, et pag. 185.
(17) Tom. Ital. pag. 181.
(18) Ibi pag. 67.
(19) Loc. modo cit.

bono ducebat sibi esse rem suam, cum provinciam, civesque suos sibi plaudere, atque exinde inter Calabros Joannis caeptam celebrari continentem vitam, et sanctitatem sentiret, nec sibi ipsi ab exteris gloriam tantam decertari; imo et doctissimos viros Bollandi asseclas, ab ipso Bollandistas dictos, qui Sanctorum virorum per singulos dies historias contexere assolent, sub Id. April. (20) novi hujusce efficti Beati signum dedisse aliquod, quamvis conjunctim se judicium suum non prolaturos dixissent, donec ii qui hactenus edendi erant alii duo tomi de eodem subjecto agentes, prodirent in lucem; et quod plurimum valet, sanctae Sedis oracula innotescerent; tum denique nono Kal. Jun., quo die adulterina ossa exportata sunt, ampliorem de Illo rationem habituros. Felicissimis hisce progressibus concitatus, totam adegit animam, ut alia duo volumina conficeret quam citissime, quae denique ut supra memoratum est anno MDCLXV. luce donata sunt. Sunt qui prodidere nihil praeterea in his legi, quam quae italice pridem ferebantur, eadem denuo latine conversa. At vero omnia profecto nova: Ingens nempe auctorum scriptorumque omnis generis copia, undequaque eruta, et coacervata, quibus testatior fieret, illustriorque ficti hominis memoria.

Non est hic locus quo de unoquoque partim opere loquamur, ne perbrevem narrationis terminum praetergrediamur. Plurimas tamen dicemus generaliter, seu historias, seu narrationes, seu chronica diversorum auctorum, pars quorum nota, pars efficta habent nomina, adesse. Principem haec inter sibi vindicant locum, seu Bonatius, de quo ob alia opuscula jam verba fecimus, seu Valerius item Pappasiderus,

(20) Tem. II pag. 103.

Digitized by Google

rus, M. denique Aliferius. Conscripta ab hoc postremo historia quaedam mss. de Svevis, in qua de bellica Fratrum Calà virtute prolixior habetur sermo, luce primum donatur. Ut autem veritatis rationem quamdam huic auctori Stocchius obtenderet, et ipsius narrationi fucum faceret, quae tota omnis saeculi XII. historiae apprime contraria est; et cum synchronis auctoribus, qui ejus aevi narrant egregia facinora, apertissime pugnat, de ipso asserit verba fieri in *Thaumargia naturali Smezii, Venetiis edita ex Typographio Sessae, et de Rivariis* MDXVIII. (21), ut cum auctor ille hoc in opere nominetur, proculdubio extitisse videatur. Extiterit tamen reapse, nec ne antea, et utrum quid sit in ipso interpositum, et recentissime editum, antiquiorque ipsi operi dies adscriptus esset dubitari rite potest. Fatetur et ipse Stocchius perraro id operis inveniri datum esse, (22) exemplumque unum in Calabria, repertum, summis legum, et juris solemniis extractum esse, ut exinde quae refert ipse fragmenta haurirentur. Una hic tamen exurgit oppositio, quo nempe pacto loquutus Smetius anno MDXVIII de M. Aliferio fuerit, cujus non ante annum MDCLVI. mss. liber repertus sit. (23) Subsequuntur et alii auctores, Lucas nempe Medices, Antonius Mursimannus, Flaminius de Dominico. Prae hisce tamen omnibus David quidam Cava religione Judeus excellit, qui veritatem exploratissimam reddit cum Beati Joannis admirandarum virtutum, atque prodigiorum contexuit historiam, quippequi ipsius virtute a Judeorum institutionibus descivit, et Christi cultum amplexus est. (24) Admiranda vero supra quam credibile est ea videtur fallacia,

(21) Vita Ital. pag. 202. in nota marginali.

(22) Vita Ital. ibid.

(23) Tom. I. latin. pag. 266. Vide not. sequent. 31

(24) Tom. II. lat. pag. 96.

cia, qua singula numerantur acta ab Felice Antistite Bisinianensi exarata. (25) Una cum duobus aliis Antistitibus (quorum nomina non apponuntur) hic Bisinianensis Antistes ab Coelestino III. P. M. jussus dicitur, ut quaeque omnia, seu dicta, seu effata forent ab Sanctissimo homine per campestres locos delitescente diligentissime exquireret; qui statim omnia quae Joannes, seu mira patravit, seu fuit vaticinatus, admirabili quadam sedulitate adnotavit in actis, ex quibus visu est apertissimum quid sollicitudinis, atque studii prudens Vir impendisset, ut Joannis virtutum praestantiam, pietatemque in Deum, ac religionem aperte detegeret. Haec omnia Pontificem docuit; qui tanta commotus fama, ita ipsius virtutem venerabatur, ut vitam adhuc agenti altaria extulisse quasi credas. (26) Verum enim vero praeter historicas narrationes, plurima quoque adsunt monumenta et elogia, et latine, et grece cum apposita versione, seu prosa, seu stricta oratione exarata, immo et panegiricae laudationes, epigrammata, numismata, inscriptiones, et omnia denique ea liturgica monumenta, quae pro coelicolis Christiana Ecclesia adnotare assolet; insuper, et innumera vaticinia futuri temporis exitum demonstrantia (quae tamen esse omnia ab callidissimo, et impudentissimo Stocchio efficta, meminisse necesse est) et quibus in quavis parte, apposite ea scatent opera, quae ab Joanne ipso scripta esse dicuntur; quibusque tandem felici exitu ab archiviis erutis, nos quippe donamur. (27) Adnotandum postremo est Joannem ipsum cum Sacrosanctis PP., cum Principibus Viris, atque diversarum Urbium Antistitibus

(25) Ibid. pag. 32.
(26) Bonatius Vit. et Miracula Beati Joan. Tom. II. lat. pag. 23.
(27) Vide T. I. et potiss. II. lat.

Digitized by Google

bus, epistolarum commercio usum fuisse, atque eae in medium litterae afferuntur, quas ad illum dedere Coelestinus III. Innocentius III. Honorius III. Gregorius IX. Innocentius IV. Malo quippe facto pauciores eae sunt, quam fortasse deberent; Verum tamen dilaniatus, corruptusque codex minus visus fuit aptus, ut ex eo omnia educi potuissent. (28) Neque tamen, seu Herrici, seu Constantiae Impp. litterae, neque plurium in Neapolitano regno Antistitum epistolae ad eum missae, seu ipsis redditae desiderantur. Quin plurimae, etiam Virorum litteratorum qui seculo XIII. floruerunt, Pomponii nempe Laeti, Pontani, Philippi Longhii, Millarensii, Caldorae, aliorumque praeterea multorum epistolae iisdem in voluminibus luce donantur (29):

Ne vero tanta opuscula, tamque diversa, seu fragmenta, seu donationes (quae tamen omnia recensere hic non valemus) exploratissima, omnique dignissima fide esse a quovis, vel immodico detrectatore judicarentur; authentica ea omnia plutea Stocchius demonstrare conatur, ex quibus eadem effossa fuere. Atque praeter illas bibliothecas de quibus memoratum est; hi etiam loci adnotantur: monasterium nempe Rossanense Deiparae Virgini, quam vulgo Coratii dicunt, nuncupatum, et monasterium divi Nili Tabernae, illudque Cosentinum, quod pietatis vocabulo appellant, archivia insuper diversarum per Calabros urbium, et fatiscentem capsulam quamdam, quae apud Pappasideros Martoranenses proceres asservabatur, ex qua maxima quaeque, et plurima deprompta sunt; (30) inter quae principem sibi vin-

c dicat

(28) in Tom. II. lat. a pag. 37. ad pag 42. Vid. pag. 107.

(29) Epist. Herrici VI. Tom. II. lat. in pag. 153. Constantiae pag. 155., Pomponii pag. 43. Pontani pag. 103. Longhi pag. 151. ad Millaren. pag. 154. ad Caldoram pag. 156.

(30) Reperti ibid. fuer. 20. opusc. mss. T. I. lat. pag. 266.

dicat locum M. Aliferii opus, (31) cum quo tota omnis deturpata est historia Svevorum, et inhonestissimae Sycophantiae textura exorditur. Neque minoris quippe ii sunt codices mss. habendi, qui eventu prospero per diuturnum quatuor pene saeculorum spatium martoranensis templi in fornicibus delituerunt: Sed admirabilis, et quasi divina ea diligentia visa est, qua cum machinatio omnis instructa est, dum documenta omnia Stocchius ipse educeret; testium insuper, tabellionum, Praesulumque per vicarios, locorumque praetorum adnitentium praesentia, per quam diligentissime uso. Haec denique omnia documenta, quae in opere edisserendo fuerunt impensa, in regio Neapolis archivio officinae nummariae ad memoriam aeternam servata fuere. (32)

Argumentis omnibus, vel probationibus, quibus totum undequaque fulcitur opus summatim quasi praegustatis, ipsorum commentitia existentia apertissime demonstrata; ut nemo, et si hebes, nonnulla ex his documenta uti exploratissima habiturus sit, et quem tantum mendacium fidem fallere possit; pulcherrimum existimo aliquam demonstrare speciem historiae, quae exinde profecta est; ut ridendus operis, seu jocus, seu impietas aliquo pacto expendatur. Quum primum haec omnia detecta fuisse vox quaedam per Calabros exorta est, mirum dictu, qua, et quanta animi vi sibi ipsis tam bellas res demonstrandas proponerent, atque optarent; putabant enim sibi ipsis tam gloriosa facinora, decori, et dignitati futura, novum perinde splendorem adnasci, quippe quia uno donarentur celeberrimo, et sanctissimo viro, qui tam belle regionem decorasset, eo potissimum quod inter cla-

(31) Capsula haec anno 1663. detecta fuit, uti ex recognit. peracta 5. Id. Nov. 1665. V. Proleg. ad Tom. I. Lat. p. 2.

(32) Vita Ital. pag. 92., et pag. 95.

clarissimos, et celebratissimos adscriberetur ob admiranda supra naturae vim patrata portenta, atque vaticinia, quae inter plurima aderant, quae calabros ipsos aliquando gloriosissimos futuros adstruebant. Adnitebatur id temporis Gregorius Laudus operi suo tomis duobus comprehenso, quod Neapoli prodiit in lucem ex typographio de Novellis anno MDCLX. cui titulus est: *Mirabilium Beati Joachim veritas defensa*: vel quod auctor hic inter putidissimae technae hujus, quam optimo praefecto adstruebat Stocchius, auctores adnumerandus sit, vel quod, ut reor, ab fallaciis Stocchii perculsus, deceptusque fuerit; certissimum tamen est, plurimas auctoritates horum, quae retulimus monumentorum adnotasse, et summa quoque observantia, ac veneratione de Beato Calà verba fecisse. Unde ex diversis auctoribus, diversa tiactantibus eodem anno MDCLX. duo prodierunt opera in lucem, quae tamen, ut ita dicam, eodem vaferrimo modo compacta, ac linita apparebant. (33)

Neque vero haec omnia satis superque essent, ut similitudinem quamdam, et veritatis speciem praeseferentem technam hanc putidissimam Stocchius ostenderet, si ad fallaciae complementum, quod in propatulo erat efficiendum, efficti etiam Beati Viri reliquiae corporis non effoderentur. Angelus primus, et Schenerus (quos duos auctores effictos esse meminisse juvat) sat luminis, atque indicii in operibus dederant suis (34) ad exoptatas in nemore aliquo reperiendum reliquias corporis, ipsisque apprime credendum erat, cum ambo inter Beati Viri Asseclas connummerati fuissent, et quorum alter ipsi morti jam proximo continuo adstitisset, donas-

(33) Plura passim narrat de B. Kalà, et auctores laudat Schenerum, Angelum primum, Lucium de Donato. Summa rerum quae scripsit habetur ad calcem vitae Italae pag. 352. n. 261.

(34) Angel. Prim. in vol. Ital. pag. 246.

setque eum tumulo; neque de ipsius opere ullo pacto ambigi poterat; publica etenim luce opus istud donatum jam fuerat ab anno MCDLXXIII. Pretiosissimi igitur thesauri ad aedificii cujusdam rudera caepta fuit perquisitio XI. Kal. Jun. MDCLIV. adnuente regia Neapolis aula, adstante civilis potestatis delegato, et per vicarium etiam Gregorio Carraffa Antistite Martoranensi, insuper et testibus, et tabellionibus, et frequentissimo gentium concursu. (35) Sed cum diu multumque laborassent homines in incassum vota eorum cesserunt. Nova tamen adhibita diligentia, et labore X. Kal. Jun. ipsius anni, ossa quaedam cum plumbeo globo reperta sunt. (36) Adnotandum hic est de ossibus tantummodo verba fieri: integro enim humano corpore carebat sycophanta vaferrimus, nec integrum eo in loco poterat obtegere. Quin etiam vox quaedam concitata fuit, quae, detecta posthaec fraude confirmabatur in dies, belluina ossa eadem fuisse. In plumbeo globo una intus obclusa latitabat inscriptio, quae in papyro quodam erat exarata per Italiam jam antea incognito, uti quae serico linteamine efformabatur. Monstrum, portentumque hoc habitum fuit; sciebat enim quisque, per id temporis, quo effictus Beatus Vir fato cessit anno nempe MCCLX., nondum Sinarum imperium detectum fuisse, neque exinde in Italiam papyrum hujusmodi potuisse adventare, cujus speciei illud in quo fuerat inscriptio exarata, esse videbatur. Ad auctores tunc, uti ad oracula petitum Stocchius effinxit ire, atque Schenerum narrasse modum, apposite ex ipsis apparuit, (37) quo, quando Joannem comitem, magistrumque suum tumulo obtexit, invisibile prope, atque admirabili eventu ab uno ex coelestibus Spiritibus,

ut

(35) Vit. Ital. T. I. pag. 90.
(36) Ibid. pag. 91.
(37) Loc. super cit. pag 143.

ut inscriptionem hanc exararet, papyrum sibi prolatum fuisse narrat. Cum omnibus historiis superius jam recensitis inscriptio haec comparata, quaque ex parte ipsis respondebat apprime. Unus tamen chronologicus error scatebat. Schenerus enim in vitae commentario, Joannem venisse in lucem anno MCLXVII. jam dixerat, et in sepulcrali elogio eumdem asserit natum fuisse anno MCLXXXIV. quae tamen omnia ex ambiguo dicta ab Schenero latam amplissimamque dedere materiem, ut diatribam quasi Stocchius contexeret, de ipsius Scheneri allucinatione tractantem, (38) cum qua rationes adigit omnes, ex quarum dimoveamur viribus, iis potius esse credendum, quae in vitae commentario adnotabantur, quam iis quae exarata fuerant in inscriptione. Sepulcrale scilicet elogium tunc temporis compositum ab ipso erat, quando summo dolore, atque incredibili pene aegritudine summum sibi damnum ex optimi praeceptoris morte factum erat.

Quum ea detecta sunt ossa, quae uti venerabilia atque sanctissima a parcis etiam religionum cultoribus habenda erant, omnes pene propinquae gentes populique commovebatur, ita ut erga novum Beatum maxima pietas, atque religio exoriretur. Necesse igitur ductum fuit sanctissimum corpus tribus capsulis diligentius obtegere, et fratribus ab divo Francisco de Paulla minimis dictis in monasterio prope Castrovillerii oppidum, rem magnam custodiendam committere. (39) Neque vero huic loco sors haec diutius data est. Nobilius enim sanctissimum decus, ut servaretur statutum fuit. Solemni itaque indicta supplicatione penes monasterium quod divae Clarae nomine appellant, ossa translata sunt. Hac vero de re jucundissima ludit in opere cui titulus:

(38) Vit. Ital. pag 100.

(39) Vit. Ital. pag. 92.

lus. (40) *Utriusque Siciliae historia*: vir doctus, et prudens Eglyus, cui fides apprime praebenda est; id enim sibi relatum dixit ab clariss. viro Neapolitano Matteo Egitio, qui natus erat anno MDCLXXIV. antequam nempe tota detegeretur machinatio, atque effictus Beatus Vir pessum isset, quique in amicitiam eos fortasse habere potuerat, qui supplicationibus hisce sanctissimis adfuerant. Narrat igitur cum solemni ritu ea transveherentur ossa, vaferrimum sycophantam Ferdinandum Stocchium, devotae, deceptaeque plebis vestigiis inhaerentem, obvolutum pallio, atque in sese collectum comitante necessariorum caterva potius pro precibus, et votis ossa ea, quae gerebantur salse appellasse, et mussitare hos versiculos auditum fuisse:

Felices asini, qui tot meruistis honores
Quot jam Romulei vix meruere Duces.

Narrat haec eadem spiritus in Cosentinorum auctorum memoriis, (41) et Sorias in diligentissima ad Neapolitanam historiam operum collectione pertinentium id quoque confirmat. (42)

Compositis hoc pacto populorum animis, garrulis, sontibusque deceptoribus fidem continuo praebituris; necesse jam erat, ut si totus foret orbis decipiendus in lucem quoque publicam prodiret opus, quod vi summa praestantissimorum argumentorum, quae undequaque exploratissima viderentur, optimo quippe judicio vallatum, munitumque foret. Anno itaque MDCLX. primus in lucem prodiit tomus vernaculo exaratus idiomate, qui ab unoquoque posset intelligi. Fronti operis tum regiae, tum ecclesiasticae potestatis approbationes, ac Beati Viri imago tamquam ornamenta insunt. Quod ad imaginem attinet, eam, ambigi nequit, omnium in nu-

(40) Histoire des deux Sicil. Tom. I. pag. 57. in not.

(41) pag. 159.

(42) V. Calà Tom. I. pag. 112.

numismatis cusarum, vivissimum, simillimumque faciei exemplum praeseferre. Detectis enim vix ossibus, seu quod pictoris cujusdam mentis vis exarsisset, seu quod verius puto divitias sibi parare cuperet, certissimum est visionem quamdam ab viro sanctissimo permissam sibi in vulgus patefecisse, qua Joannem, venditabat sibi jussisse, ut bene sui vultus specie, ac forma considerata, ejusdem similitudinem effingeret. In opere tamen uti quae verissima sit admirabilis haec visio asseritur. (43)

Alexandro VII. P. M. qui per id tempus summum regimen divinarum rerum occupabat, tomus hic primus nuncupatur. Paullo tamen obscurior nuncupatoria epistola videretur, si de vaticinio quodam nostri Joannis eam agere nesciremus. Adest hoc inter illius vaticinia, illo quidem in opere adnotatum, sibi ab immortali Deo, Michaelis Arcangeli afflatu tempus, in quo nominis sui gloria foret extollenda, reseratum fuisse (scitu enim necesse est, ipsum supplici expetiisse animo, ut abditum nomen suum remaneret) et cum gloria nominis, divinae quoque omnipotentiae miracula manifestanda essent. Atque haec omnia eventura essent, quando sydus quoddam super tria montium cacumina lucem expanderet. (44) Satis quidem clara, atque aperta vaticinatio est: quippe quia gentilitia Chisiae gentis insignia ex sydere tribus superposito montibus componitur. Jucundissime quidem hisce omnibus Stocchius Pontifici assentabatur; cum faustissimum Alexandro videri debuisset, ab quatuorcentis ante annis Summi Pontificatus se accepturum honorem ab vate sanctissimo portentum fuisse. Ea tamen vatis erat ars, ut illa tantum,

(43) Vit. Ital. pag. 93.

(44) Angelus Primus: *Tempore, quo videbit me rursus splendens Apollo, splendescente caelesti sydus in montibus altis*. In vita Ital p. 150., et legitur etiam in Schettero ibid. pag. 140., vid. pag. 160.

tum, quae sui temporis essent, cognosceret, in futuris vero praedicendis erraret. Etenim vaticinationis fabulam prosequendo, illum, inquit, qui Alexandro in Pontificatu occupando succederet, (45) quem leonis nomine additaverat, per terrarum orbem Beati nomen in Sancti appellationem conversurum. Adverso tamen fato cessit vaticinatio. Nam qui primus post Alexandrum Pontifex renunciatus fuit prae suae gentis insigniis leonem praeferens Innocentius nempe XI. totam furentem hanc effictae sanctitatis fabulationem, decreto quodam quod postremo afferemus, destruxit atque abolevit.

Quum vero primus hic liber a gentium plerisque celebratissimus habitus fuisset, neque huic operi curam impendissent aliquam optimi et litterati viri, vel ad trutinam revocassent, aut ipsi essent adversati, animi sui procacitatem Stocchius tunc concitavit, ut caetera quaeque monumenta in congeriem conglobata typis prodire juberet; quae vero omnia satis quippe futura fuissent, ut novus ex his aeque, ac amplior, ac mirabilior vitae commentarius confici posset. Anno itaque MDCLXV. alii duo tomi, de quibus superius verba fecimus luce donati sunt. Horum primus inscribitur Philippo IV. Hispaniis, et Siciliis tunc imperanti; fausto, ac felici omine completur elogium, ipsi nempe, caeterisque ex regio sanguine deducendis earum omnium rerum adimplementum auspicando, quas sanctissimum virum divinare jam ipse Stocchius effícto in illo vaticiniorum codice jusserat; admodum nempe brevi temporis spatio, neque post annum MDCCXXVIII. unum qui ex augustissimo genere erat oriturus, duce quodam praestantissimo viro, qui inter Calabros ortum du-

(45) *Postquam stella declinabit a montibus, Sol apparebit totum illuminans orbem, nostraque terra aliquantulum lucescere faciet, donec solis solium tenens leo rugitu nominibus nostris implebit orbem. V. Ital. pag. 161.*

Digitized by Google

duxisset, eo praepotenti dominatione perventurum, ut Othomanicum Imperium funditus ablaturus foret atque destructurus, caeteris quoque regnis in potestatem receptis, Ecclesiam Sanctissimam ad veterem gloriam extollere, et infinitum imperium, cum terrae, et marium spatio vastissimo commensurare valeret. (46) Quae quidem felicia omina Karolo regis nato in nuncupatoria secundi latini tomi epistola iterantur. Scimus tamen omnes, quid acciderit.

Quamvis haec omnia hactenus dicta satis, superque sint, ut indoles, et natura operis dignoscatur, quibusve adstruatur fundamentis, necesse tamen erit, aliquam habitae rationis ideam in machinatione exordienda, atque texenda componere. Existimatum est ab nonnullis, quod quamvis ea omnia, quae Joannem Calà sanctissimum adstruunt fuisse virum, ridenda sint, prorsusque despicienda; quae tamen e converso civilem historiam respiciunt, utpote quae pulcherrima, atque exploratissima, non solum non spernenda, sed etiam ab eruditissimis viris in pretio haberi debeant; in ipsis enim sedulam, studiosamque de Svevorum principum familiæ adnotationem, facinorumque omnium Henrici VI. Imperatoris in Italiam pluries adventantis perfectam historiam praeseferri. (47) Qui tamen haec dicere valuit, vel nunquam opus legisse dicendus est, vel si legerit, id per summa capita, neque attente, et considerate praestitisse. Etenim e converso tantum sibi ipsi repugnans, tot, tantisque sibimet adversantibus undequaque refertum opus, quisque vel minus

d dili-

(46) Ita in lib. 2. part. 4 V. Ital pag 174. et sequent. Vide pag. 552., et in Vaticinio ejusdem Joannis Calà ad Innocentium III. Tom. II. lat. pag. 12?. n. 3.

(47) Egly H. des deux Sic. apud Soriam p. 122. T. I. ratus hoc opus optim. quod ad genesim Nortom. attinet. Zavarr. cit. n. 2. ad exact Chron regulas accommodatum. Barrius effictam esse Joann. Vitam, sed inter genuinas adnumeravit Svev. hist. de antiq. Calab. pag. 405.

diligens diceret, ut dignissima ea omnia in opere contenta existimaret, quae cum portentis ab Areosto compositis comparentur. Ea vero methodus, ac ratio totius est operis, ut iis omnibus scriptoribus, quibus apprime cujusque aevi scriptores doctissimi protinus adhaesere, repugnet, et adversetur. Perbrevi nos alloquio prima summatim attingemus. Postquam ab Ludovico Calà, et Jolanta Burgandia natos Gandavi asserit Stocchius germanos fratres Herricum, Joannemque, quorum alter ab ipsis ita incunabulis innotuit, ut ejus ortus praedictus jam fuerit, jussumque Patri ab Superis nomen quod foret illi imponendum, (48) postquam item ipsos effingit in pupillari aetate parentibus orbatos, morum institutionem praevigili sedulitate ab Friderico I. Caesare avunculo doctos fuisse, (49) et una cum Herrico, qui postea sextus hujus nominis fuit Imperator ipsius Caesaris filio adolevisse, (50) denique ex ephebis excedentes, et primo juventae robore procaciores cum Herrico Augusto in primo ipsius in Italiam appulsu anno MCXCL. huc adventasse, eos tunc contendit Stocchius, utpote qui ambo summi bellatores existimarentur, veluti exercitus Imperatores ab ipso Caesare constitutos fuisse. Atqui tamen haec omnia penes quodque ipsius aevi monumentum, in quo de duobus hisce Imperatoribus verba fieri soleant, neque uno verbo nominata sunt; sed ea omnia verissima, atque exploratissima judicanda esse, iis tantum effictis ab Stocchio monumentis superius citatis adseritur, et confirmatur.

Atque hic malecaptum deceptorem ipsum dignoscitur apertissime in efformandis antea historiis, atque codicibus, qui

(48) Bonatius Vit. Itala p. 113. refert celestem vocem dixisse Patri, *uxorem parituram infantem, quem constituit Deus in salutem populi*; et Lucius de Donato ipsi addit etiam fuisse dictum; *sit nomen ejus Joannes iaest Gratia*.

(49 V Ital. p 79.

(50) Ita Greg. Laud. in fin. vitae Ital. p.557.

qui forent typis edendi, in insinuandis quoque narrationibus, diplomatibus, atque inscriptionibus, rem non bene pensitasse, nec plane vidisse, fieri nec ne posset, ut dum eorum omnium, quae nobis persuasa esse volebat, successivam contexebat historiam, cum locis, cum temporibus possent ab ipso omnia comparari, et ad exactas tum historiae, tum chronologiae regulas accommodari. Factum hinc est ut tot simul congestae in unum fallaciae ita ipsius mentem exagitatam divexarint, ut omnem Henrici in Italiam primi adventus historiam conturbare necesse fuerit. Duo jam in fabulosis monumentis chronologica puncta erant constituta, ex quibus amplius extricari nequibat. Primum est illud Fratres Calà Januarii mense venisse in Italiam, et Romam cum Caesare mense Aprilis MCXCI. adivisse, quo anno eorumdem in bello facinora gesta sunt; (51) alterum vero est, Joannem per annos LXIV. inter sylvestria loca, vitam sanctissime duxisse. (52) Et cum e vivis ipsum excessisse asserat anno MCCLV. (53) optimo quippe consequitur calculo, eumdem ipso met anno MCXCI. e militiae stipendiis cessisse; ita ut tot, et tanta ab uno viro patrata in bello facinora illustria, brevissimo aut septem, aut octo mensium spatio forent coercenda; hinc eventuum omnium ipsius anni perturbatio, hinc cerebrosa pro lubidine itinerum tempora, hinc tandem Herrici Caesaris operis primi militaris tota historia foedata.

Satis aperte ea docemur omnia a synchronis scriptoribus, quae Herricus VI. gesserit, seu quae ipsi evenerint in itinere per Italiam confecto; eaque pene omnia repetere assolent eruditissimi quique historiarum conditores, qui subsecuti sunt, et satis aperte eadem exponunt. Constituto fortissimo animi

con-

(51) Praeter auctores ab Stoc. effictos, ipse auctor id asserit in vit. Ital. p. 100., et p. 358.

(52) Ibid. pag. 358.

(53) Ibid. pag. 100., et 358.

consilio, Herricus Caesar, ut Neapolitani regni vendicationi mature prospiceret, ipsumque redigeret in potestatem, quippe quia in ipsius regni occupatione sanctissimis juribus, ab Constantia uxore sua sibi demandatis fulciretur, multa coacta pecunia, fortissimo instructo exercitu, regnum occupandum ratus est. Anno itaque MCXC. cum valida exercitus manu Herricum Testam (54) unum ex fortissimis ducibus Italiam petere magnis itineribus jussit ad regni invasionem incipiendam, qui plurima per Campaniam loca ipsi Caesari subegit. Fervidiore quidem animo cum reliqua exercitus manu adventavit et ipse Caesar, qui (55) per Alpinos saltus contendens, Idib. Feb. Bononiam usque delatus est; qua in Urbe diploma conscripsit, quo Atestinum Marchionem cohonestavit. (56) Ab hinc profectus per Etruriam iter faciens, (57) dimidio quatragesimali tempore Romam pervenit; (58) et, quoniam Clemens III. e vivis cesserat, repperit optimum Sanctissimumque Pontificem Caelestinum III. Christianis sacris praefectum fuisse. Susceptus ab eo Caesar, coronatusque est solemni pompa, recepto tamen pro pactione in Pontificiam potestatem Tusculo, quod Caesareae cohortes forti praesidio occupabant. Amice id Caesar exequutus est; Pontifex vero Romanum populum illo donavit, quod furenti, ac barbaro animo funditus destruxerunt. (59)

Haec vero omnia ab omnibus ferme contestata historiarum conditoribus non bene conveniunt cum irridenda Fratrum de

(54) Anon. Cassinat. apud Carac. ad ann. 1190. pag. 147.

(55) Sigon. de Regno Italiae lib. XV. Tom. II. pag. 831. *Alpes trajecit.*

(56) apud Lunig. C. Dipl. T. I. pag. 1550.

(57) Uti ex Diplom. citat. in not. 61., et 62.

(58) Chron. Weegaitense apud Canisium Tom. III. part. II. p. 598. Richard. a S. Germano apud Ughell. Tom. X. pag. 176.

(59) Abb. Usperg. in Chron. Godofridus Mon. et Sicardus in Chron. Anselmus Gamblacensis apud Pistor. T. I. part II. pag. 999. Martinus Polonus apud Eccardum Hist. medii aevi T. I. pag. 1415., et T. II. pag. 794. Recentiores vero Baronius, Sigonius, Fleury, Becchetti.

Digitized by Google

de Calà Historia. Etenim in ea dicitur, summam belli curam, atque Caesarei exercitus imperium Fratribus de Calà demandatum fuisse; de quibus tamen ne verbum quidem ab auctoribus factum fuisse repperies, neque monumenta quaevis historica adstrues, ex quibus veluti per nebulam quamdam haec sint deducenda, sed e converso, ab exercitus imperio pellitur Herricus Testa, a quo se plurimum in tricas Stocchius conjectum sentiebat: quamvis ipsum omnes dicant historici, eo tempore exercitui praefuisse; ut haec autem aliqua tectus veritatis similitudine Stocchius dicere videatur, Anonymum Cassinatem, et Ricardum a S. Germano profert in medium, (60) qui ambo per regiones undequaque Herricum Testam ajunt ipsum caedes, incendia, rapinas, aliaque innumera belli probra paravisse, ob quae infensa facinora ab Normannis, ex Neapolitani regni finibus pulsum fuisse; ex quibus consulto Stocchius infert ipsum rediisse ad Germanos, neque amplius in Italiam descendisse. Verum enim vero ea quae inde consequi contendit Stocchius, partim non necessaria, partim falsissima sunt; jugiter enim Herricum Caesarem subsequutus semper fuit exercitus dux Herricus, quippe quod ex ipsius signo apertissime constat, quo duo adnotantur diplomata, ab Imperatore et Lucae, et Mediolani data (61) praeter ea quae prope Neapolim ab eodem subsignata fuere, quorum unum Euguvio favebat, Cassinatibus alterum donationem quamdam confirmabat (62). Qua propter incassum ibit, qui fingebatur ipsius ducis ex Italia discessus, im-

(60) Vide Vit. Ital. p. 59. Et Chron. Cassin. loc. cit. pag. 148. ad annum 1190. ait: Rex Erricus misit Erricum Testam in Regnum; et infra: Theutonici depressi de Regno exierunt Richard. a S. German. ap. Ughell. It. Sac. T. X. pag 176.

(61) Datum Lucae 8. Kal. Martii apud Ughell. It. Sac. T. I. pag. 850. dat. Mediolani 8. Decembr. 1191. apud Lunig. Cod. Dipl. T. III. pag. 1764.

(62) Datum ante Neapolim 1191. apud Ughell. Loc. cit. Tom. I. pag. 641. Datum Acerris 12. Kal. Jun. 1191. apud Gattula Acces. ad H. Cassin. T. I. pag. 274.

imperiumque exercitus Joanni Calà tributum. At vero excusari posset prima haec allucinatio; attamen ea quae subsequitur nullo pacto ignoscenda. Ut Joannem laudibus extollat amplissimis, Romae vix pervento heroe Stocchius inquit, Tusculum Romanorum armis resistere ausum esse; et Pontificis dicto audiens non fuisse; hinc sibi Joannem onus ipsius oppugnandi sumpsisse, et militibus post terga relictis solum inter media arma, et coacervatissimos enses moenia tusculana superasse, (63) et virtute denique singulari, propugnatam fortissimamque arcem occupavisse. Neque hic Stocchius historicos omnes, ne iis quidem, quos ipse effinxerat exceptis dixisse meminit, eam tunc temporis arcem occupatam ab Germanis fuisse, qua de re inutilius egisset, si quod jam Caesar obtinebat, quodque ab suis ipsi servabatur militibus, oppugnatum isset. Negari verumtamen nequit alio sui operis in loco (64) reperiri Germanos milites ab Tusculo Caesarem advocasse, illudque amice in Pontificis potestatem concessisse; attamen sententia haec Stocchio reprobatur, fidemque in medium (65) exploratissimam Bonatii profert, qui, suo judicio, sanctissimus testis verissima quaeque omnium, atque credibilia viro magno datur. Qua de re, hac nova post habita, in primam sententiam se rediturum affirmat.

Mense Aprilis Paschatis die coronatus ab Caelestino III. Pontifice Herricus Caesar, ab urbe proficiscitur per Cassinatium viam Regnum Neapolitanum ingressurus (66). Prope Neapolis moenia Idib. Maj. pervenit, et XV. Kal. Jun. unum pro Annoniensi monasterio, Divi Benedicti nuncupato diploma

(63) Vit. Ital. pag. 115. Vid. Bonatium ibid. pag. 119., et Marsimannum T. II. lat. p. 11.
(64) Vit. Itala pag. 29.
(65) Ibid. pag. 30.

(66) Richard. a S. German. apud Ughell. Ital. Sac. T. X. p. 176 Anonym. Cas in. T. I. pag. 358. Arnoldum Lubecens. lib. IV. c. 5. Baronium.

ma obsignavit; (67) alterumque XII. Kal. ejusdem mensis in Oppido Acerrae, quod prope Neapolim exurgit ad donationem quamdam Cassinatibus confirmandam (68). Atque hic incredibilem Joannis virtutem admirari nos liceat, cum qua pulcherrimum facinus pro salute Augustissimi Principis fortissimus Dux operatus est. Stantem enim Caesarem super cujusdam triremis tabulatum, furens quidam maris fluctus ad se magna vi traxit, et gurgite deglutivit. Continuo in mare Caesari opem praestolaturus Joannes se conjecit; scitissime illum reperiit, et semianimem in navem restituit (69). Ut verum facinus hoc fortissimi hominis esse credamus, Caesarem existimandum necesse erit, dum sese per alpinos duceret saltus, ut jam fecisse dictum est, in una triremi adventasse in Italiam, classemque post se per Rhetiae alpes deduxisse, aut saltem Roma Neapolim transeuntem per cassinatium iter maris procellosum sinum transfretare debuisse. Novit fortasse Stocchius id erroris e sua historia exoriri; Unum igitur et falsum, et ad opus insufficiens praeposuit in antecessum, Herricum nempe Caesarem ab Germania in Italiam terrestres copias, classemque accedere jussisse (70). Atqui quomodocumque se res habet, fides fallaciae nulla fit. Per diversas enim semitas huc adventarunt et pedestris exercitus, et classis; verum ubi Herricus aderat, qui per rheticas alpes descendit, triremes interesse nequibant, neque quo illae per freta vehebantur poterat Caesar adesse; quo igitur pacto ab furenti maris unda fuit ipse deprehensus? Posset fortasse Stocchius, seu si quis ejus amplexetur defensionem, hisce reponere dictis, labente pene anno MCXCI. Herricum in Germa-

(67) Apud Miraeum oper. Diplom. T. I. pag 154. dat. XV Kal. Jul. 1191.

(68 Vid. sup. not. 62.

(69) Pappasiderus T. II. lat. pag. 185. Vit. Ital. pag. 115.

(70) Vita Ital. pag. 115.

maniam Neapoli rediturum per Cassinates transivisse, (71) atque VI. Idus. Decemb. Mediolani adfuisse, (72) cumque nonnulli adsint, qui Pisas quoque pervenisse eum dicunt, asseri quippe pro lubitu posset Genuam usque exhinde vela dedisse. Quibus omnibus pro certo etiam habitis Caesarem cum classe videbimus; sed in id offendemus, ut qui admiranda pro salute Principis patraret, ipse nempe Calà deficeret. Fortis namque Dux ad septembris terminum iverat in Calabriam, uti videbimus, (73) et per Decembris mensem jam in sylvestria loca secesserat, Beatusque effectus jam erat. Ergo supposita quoque efficta illa navigatione Genuam provehi nequivit.

Tempus, locusque defuit huc usque, ut insignem fortissimi ducis per maria virtutem conspiceremus. Deerit fortassis utrumque, si quod maximum pugnacissimo ense patrasse in terrestri dimicatione facinus dicunt spectare velimus. Quum Caesar Neapolim appropinquaret, Campanos subegit, (74) Hirpinos, Lucanosque, Salernitanos vero redigere in potestatem necesse non fuit; Caesari enim enixe studebant, erantque, ut verbis Muratorii utar (75), semetipsos imperatori tradendi ardore insanientes; eaque tanta inter Salernitanos Caesaremque necessitudo officiorum intercedebat, ut ipsum Neapolitanum bellum deserere coactus, ad Germanosque redire, eisdem custodiendi, tuendique caussa Constantiam uxorem relinquere non dubitavit (76). Atque heic nos apprime obstupentes vult Stocchius, dum vim, dexteritatemque magnam opti-

(71) Richard. A. S. Germano apud Ughell. Italia Sacra. Tom. X. pag. 177.
(72) Lunig. Cod. Diplomatic T. II. pag. 1763 ad Bonifacium Montisferrati datum Mediolani 8 Decembris 1191.
(73) Vide sequent. not. 82., et 84.
(74) Anon. Cassin. ad annum 1191. p. 143.
(75) Annal. ad ann. 1191.
(76) Anonymus Cassinatensis loc. cit. p. 149. *Imperatrix Salerni recipitur, et moratur. Imperator Neapolim obsidet.* Ad ann. 1191. Richard. a S. Germano apud Ughell. It. Sacr. Tom. X. pag. 177.

optimi Ducis conspiciemus, cum qua immanem gigantem lacessivit, prostravit, atque confodit. Excellebat gigas nimio habitu corporis, granditate, magnitudine id temporis ignota; eratque patria salernitanus (77), atqui tamen ipsum occidendum esse quis credat, si Caesaris dicto audiens erat, ipsique in Neapolis obsidione maximo adjumento futurus fuisset? Verum haec nil habenda, et ut gloria Joannis emineret, monstro illi erat moriendum. At fortis, strenuusque Vir, qui eo exornabatur habitu, atque altitudine corporis, quo caeteri donantur homines, inter quos communiores fuisse ipsum dices (78), et cum giganti illo immani comparatum, nanum appellabis (79), coram eo constitit, nec data mora, uno cuspidis ictu ab corpore tam grandi, atque immani caput abscidit (80). Dolet nos quippe, quos Stocchius non doceat, utrum horribili saltu Joannes, vel climace adhibita id facinoris perfecerit.

Verumtamen quoniam tam mirabilia ad poemata condenda, quam historias aptiora auscultamus; facinus hoc alterum praeterire nefas sit. Ex Germania Caesar Italiam petens, quamquam transpadanae Galliae partem, quam a Longobardis vocant, attigisset, Mediolanum tamen non adivit. Aberat enim ea urbs ab necessitudine Svevorum, ipsisque infestissima (81), ut pleno ore asserit Stocchius; quod verum sit nec ne nihil ad nos. Nullum igitur in opulentissima urbe facinus patrandi ab Stocchio facta est Joanni facultas.

e Quum

(77) Magister Alifer. T. I. lat. p. 16. *Immensa membrorum mole*. Eadem habet Murimanaus T. II. lat. pag. 2. Bonatius Tom. II. lat. pag. 58 n. 39. *Staturae monstruosae*. V. Ital. pag. 115. *di smisurata monstruosa statura*.

(78) V. Ital. pag. 114. n. 4.

(79) Bonat. de rebus fortiter gestis in Vita Ital. pag. 110. *Incidisti ait Gigas, Homuncio in manus fortitudinis*.

(80) V. Ital. loc. cit. p. 115. *In un colpo tagliò la testa al Gigante*. M. Alif. T. 1. lat. p. 17. *Unico ictu illius* (Gigantis) *caput amputavit*.

(81) In Vit. Ital. adseritur p. 25. Mediolanum tunc fuisse Errici *capitalissima nemica*.

Quum Augustus ab concepta Neapolis obsidione recederet, septembris mense exercitus Principes Duces utrosque Fratres Calà in Salentinos, Calabrosque ire jussit (82). Ipse vero per Cassinates abiit; vel si transpadanam Galliam, dum Germaniam versus iter faceret, attingens (rerum facie immutata) aderat Mediolani decembris mense, (83) strenuus tamen Joannes adesse ibi nequibat, quippe qui ea tempestate per Neapolitani Regni provincias exercitum ducebat, (84) uti ob apertissimam hujusce admirabilis historiae narrationem existimandum est. Vult Stocchius tamen una saltem die Joannem se contulisse Mediolanum, ut nunquam alias auditum praelium committeret. (85) Existimavit fortasse Stocchius, ut ad Appulos, Calabrosque transitus fiat, mediolanensem ditionem peragrare necesse fore, Joannemque illud iter agentem ab indicto praelio sese expedire potuisse. Incredibili quippe celeritate facinus actum est. Quidam enim Germani, equestris ordinis milites huic fortissimo Duci maledixerant. Ille autem ira concitatus decem ex iis conglobato praelio turmatim lacessivit. Nec vero quis putet, ex eis quempiam, dum confossos videret necatosque commilitones e praelio descivisse, aut saltem sauciatum tantum fuisse. Omnes una interfecti sunt; neque id admirandum; omnes uno ictu transfodit (86). Mirum facinus, et inaudita ratione quadam patratum! Quod nos intelligere nullo sane modo possumus, nisi ex decem illis militibus alterum alteri recta in linea adhaerentem fingamus, omnesque inde unico unius ensis ictu transfossos.

Quae tanta, et singularia, et fortissima belli facinora, nil

(82) M. Aliferius Tom. II. lat. p.17.n.40., et p. 18. celeri Joannes . . . , itinere in Calabriae fines pervenit. Mursimann T. II. lat. p.12.Schen. in V. Ital p.81. Vide infr.not.99.

(83) Vid. supr. not. 72.

(84) Praeter relatos auctores, Vide etiam Pappasider. T. II. lat. pag 77. et Angelum Primum in Vit. Itala. pag. 82.

(85) Vit. Ital. pag. 114.

(86) Vit. Ital. loc. cit. *E tutti insieme gli uccise*.

nil praeter naturae vires Stocchius praeseferre contendit; Joannis virtutem maximam amplificando, quae cum Sampsonis notissimi (87) fabulosique Herculis robore (88) comparari valeat, ideoque ipsum aetate quindennem, currentes per nemora apros assequi potuisse, per mediumque ipsos uno ictu obtruncasse, tigres insuper leonesque discerpsisse, centum quasi homines, qui secum luctarentur, prostravisse in terram (89), et pene ipsius dextera seu scorpio, seu naturalis manubalista foret, per tercentum, et amplius passuum spatium lapides XXX. ponderosas libris emisisse (90); tanta fuisse igitur mirabilia, prodigiosa, atque illustria pro Herrico Caesare ab Joanne patrata facinora Bonatius inquit ex fide coaevi Scheneri, ut ea scriptorum doctissimorum hominum millia complete narrare non possent. (91) Hisce opibus nihilo secius Caesarem adjutum, Neapolim scimus expugnare non potuisse. Neque summi Ducis profuit ipsi ignota ante hac manubalista, qua cum lapides seu XXX. seu XL. ponderosas librarum eminus, cominus vero LXXX. seu C. in urbem emitteret, quibuscum validissimis ictibus teterrima facta caede, quaeque opposita fuissent dilaceratis murorum lateribus, perfringere, atque obterere potuisset. Quin e converso toto pene exercitu amisso in Germaniam rediit turpissimo itinere. Haec certe satis, superque sunt, ut qualis sit historia omnis Svevorum, quae ex Stocchii machinatione depromi posset, apertissime dignoscatur. Ea enim omnia in ipsa contenta, etsi nonnulli in mitiorem abeant sententiam, nil

 aliud

(87) Vita Itala pag. 80.

(88) Schener in Vita Itala pag 136. *Hercules militiae*, et in proloq. ad Tom. 1 latin. pag. 6. de Joanne, et Errico Fratre *Alcidis labore gloriose sunt aemulati*.

(89) Vita Ital. pag. 114.

(90) Ibid.

(91) Aucor ex ms s. Angeli rimi p. 113. Vitae Ital., et Schenerus relatus a Bonatio ibid. pag. 82. *Scriptorum doctissimorum Hominum millia non poterant enarrare complete inclita, mirabilia, summa, prodigiosa Joannis facinora etc.*

aliud, quam foedam, ridendamque fictionum, oppositorumque congeriem praeseferunt. Nimis quidem longe proveheremur, si omnia essemus singulatim scrutaturi, quae praeter Joannis res gestas virtutem quoque Herrici fratris complectuntur, qui bellaturus in Italia constitit, ut in imminentibus praeliis in quibus ab Caesariano exercitu foret decertandum, quaecumque magna patrare posset et potiora facinora. Verumtamen nobis, qui anni MCXCI. exitum jam prope attigimus, civili Svevorum historia posthabita, Joannem sylvestria per nemora latitantem, sanctumque ab hominibus habitum perscrutari in animo esse debet. Hoc enim argumentum plurimi Sycophanta faciebat, in quo tamen non dicam dementiam, verum et impietatem suam non dubiis mehercule rationibus demonstravit.

Neapolis obsidione tribus ferme mensibus in incassum producta, toto pene ob teterrimam luem, quae funestissime crassabatur exercitu amisso (92); morbo jam ipse Caesar laborans (quo, quum gravissime implicaretur fama percrebuit ipsum defecisse, ita ut Genuenses qui eidem adjumentum praestolaturi cum classe advenerant (93) ea voce decepti, retro cesserint) in Germaniam redire constituit, et per Cassinates mense septembris iter aggressus est. (94) Discedentem ipsum contendit hic Stocchius, Joanni, atque Herrico Fratribus Calà summis ambobus Ducibus exercitum (95) imperii titulo concessisse, ut Calabrum regiones occuparent; quem certe exercitum, illum fortasse fuisse dices, quem pestis

(92) Chron. Elevac. apud. Pez. T. IV. part. III. p. 767. de' Nangis ap. Dachery T. III. p. 18. Trivetti chron. apud. eumdem T. III. pag. 172.

(93) Anselm. Pemblac ap. Pistorin. T. I. part. II. p. 1000. Ovedenus Arnold. Lubac. V. Sigon. de R. It. L XV. T. II. p. 842.

(94) Anonym. Chron. cap. I. cit. p. 149.

(95) Supr. not. 81., et 84. Vid. Barlaami carmina Tom. latin. pag. 281 Herricus.

Discendens summum Imperium
super arma Sveva
Tradideras ....

stis prorsus extinxerat. Omnes enim historiarum scriptores, (96) neque exceptis Stocchianis, Aliferius nempe, Bonatius, Musimannus id aperte confirmant (97); immensa tamen fretus ipse illa monumentorum strue ea omnia quae patrarunt duo fortissimi Viri cum selecta exercitus manu per Appulos, perque Calabros facinora notissima, veluti per speculum invisenda nobis ostendit (98). Atqui tamen Calabria seposita, quae anno MCXCI. Tancredi non vero Herrico parebat, (99) exercituque qui tantum existebat in votis, difficilioribus tricis ipse Stocchius se novit implexum, ex quibus ipsa quoque munitus qua pollebat callidissima versutia, non dicam cum veritate, sed quasi neque cum veritatis specie expedire se potuit. Ab Caesare ex Italia discedente, qui fuerint Duces Imperatoresque constituti, ut reliqua tenui, quae supererat exercitus manu, ea perpauca loca, seu sponte, seu vi Augusti Caesaris dominationi parentia in fide (quod nullibi contigit) confirmarent, et conservarent dictum est ab historicis fere omnibus. Nominantur, Testa, Lancia Morleus, Corradus dictus Musca in cerebro, Marqualdus, et Dispoldus (100). Taedet nos ne unum quidem in tanta scriptorum copia extitisse qui duos hosce fratres nominasset, cum

(96 De Nangis Chronic. apud Dachery Tom. III. p. 18. *Herricus Neapolim obsidet, sed caede relicta Alemanniam tendit*. Chronic. Elvacen. apud Pez. T. IV. part. III. p. 767. *Totam militiam perdidit*.

(97) Magister Alifer. Tom. I. lat. p. 17 *lues . . . . perpaucis diebus ingentem Caesaris exercitum pene omnino perdidit, et delevit*. Bonatius Tom. Ital pag 120. Mursimann. Tom II. lat. pag. 47. *Caesar omnia quae comparaverat amisit*.

(98) Vit. Ital. pag. 75. *col maggior nerbo dell'esercito furono* duo fratres, *lasciati da Errigo in Calabria*. Et pag. 81.

(99) Vide notam 60 Contendit ipse, non solum ab Appuliae, et Calabriae finibus eo anno Tancredem, Caesarei exercitum Ducem Herricum Testa deturbasse, verum etiam ex toto Neapolitano Regno expulisse.

(100 Richardus a S. Germano apud Ughell. Tom. Anecdoctorum pag 177. Chron. Fossae novae ibid. pag. 19., et pag. 20.

Muscam cerbellum jubet hic assumere bellum,
Qui sic incepit pro me Corrade manebis.
. . . .
Ad mala multorum remanent duo Theutonicorum.
Hic patriae fulgor Corradus est, et Dipuldus.
Hi renovant bellum, perturbant undique Regnum.

Digitized by Google

cum interea innumera propemodum monumenta, seu elogia tumulis inscripta, seu trophaea, seu statuae ipsis erectae, et caetera plurima (quas pro lubidine in codicibus effictas ab Stocchio meminisse juvat) clarissimorum Fratrum gloriam, virtutemque militarem tam belle extollant ad sidera. Ut vero sese Stocchius nexibus ab hisce, qua melius datum sibi esset, explicaret, per diversas abiisse plagas eos Duces effingit, ipsosque in diversis, variisque facinoribus implicatos (101). Historiam itaque distorquendo, epochas commiscendo, ac conturbando ab supposititio exercitu memoratos Duces exclusit, ut hoc posset negativo adstruere argumento, huic exercitui per Calabriam Fratres Calà imperare potuisse. Verum infortuniis plenum imperium! Ipsomet enim labente anno MCXCI. quo temporis spatio tot tamque admiranda facinora completa fuerant: impetum Joannes cum exercitu fecit in hostium agmina. Summa tunc audacia pugnatum utrinque est. At ipse fortis dux, quique invictus usque adeo extiterat, laetali saucius ictu in bello prostratus est, defunctis commistus corporibus, ut qui crederetur extinctus, ab suis commilitonibus, qui in citissima fuga unicam spem salutis quaerebant fuit derelictus. Teterrimo ab hoc praelio nova exorditur vitae ratio, et sanctitas incipit effica hujus strenuissimi Viri, et militari, et caelesti virtute duplici gloria celebratissimi.

Semianimi ipsi, atque inter confertissima commixto cadavera, supernum quemdam spiritum ait Stocchius apparuisse (102), et laboranti salutem confestim restituisse; ut perfecta jam valetudine fruens Fratrem suum Herricum, qui summo dolore animi luctuossimum fratris funus lugebat adire valeret. Duplici tunc gaudio Herricus quum revisit Fratrem

(101) Vit. Ital. a pag. 58. ad pag. 84.

(102) Vit. Ital. pag. 87.

Digitized by Google

trem affectus est, quod, scilicet, quem mortuum credebat, recuperavit, quodque ab eodem moribus jam pene immutato tot patrimoniis, ac feudis fuit donatus, quibus per Calabros (103) (ut noster asserit) sitis, Caesar jam tum ipsum cohonestaverat (104). Feudis ergo illis effictis, quae dereliquerat Frater, cum caeteris una junctis iis imaginariis, quae sibi etiam ab Augusto dono obvenerant, satis luxuriose Herricus decora gentis, ac Familiae Calà sustentare valebat. Despectis tamen Joannes divitiis omnibus, deliciisque hominum militari sago seposito in sylvestria sese contulit nemora, eamque poenitentis vitae rationem exorsus est, quam facile quisque novit, si cum celebrioribus vitae sylvestris, ac solitudinis accolis conferat. (105)

Quid autem dicendum est de ingenti miraculorum copia, quae rariora Sanctae Ecclesiae documenta, et gloriam cumulari quodammodo, et superare videntur? Nec hic recensere singulos possumus vel oculis, vel auribus, linguave captos, seu mutilos seu insalubres, febrientesve, quos turmatim (si fidem uni ex scriptoribus facias) (106), una simul omnes (si alterum audiamus) (107) sanitati restituebat. Admiranda haec facinora patrata esse fortasse dicam, ut quoniam turmatim homines solebat occidere, turmatim etiam ad aequilibrium quoddam praestandum erigeret redivivos. Verum ea majoris virtus est facienda, qua laeto jamdiu defunctos repetebat. Lucium Donatum jam diximus quatriduo post revocatum ad vitam, quem auctorem historiae ab Joanne divinatarum rerum habemus. Tres quoque alii, qui

(103) Vita Ital. pag. 87.

(104) Anonym Chron. Cassin. cit. p. 150. Richar. a S. Germano supra not. 60.

(105) Pappasiderus Tomo secundo latin. pag. 115. et ibid. pag 80. *Summum est anachoreticae vitae culmen assequutus*. Et Bonatius in Tom. II. latin. pag. 7. num. 30.

(106) In Vita Itala ex auctoritate Angeli primi pag. 97. *Turmatim curaverat*.

(107) Ibid. pag. 115. *E tutti insieme curavagli*. Et pag. 97. sup. cit. *Gli sanava a compagnie intiere*.

qui jampridem occubuerant per Virum portentosum, excitata fortuna, redditi sunt. (108) Verum si hisce in rebus ea non apparent, quae facinora celebriora reddant hujusmodi; nihil portentosi desiderari in iis potest, quae gessit Joannes vel pro quodam viro ab avulsa rupis mole cominus sepulto, ex qua bipartita jussus abire fuit illaesus; vel pro infantulo quodam ab marino monstro jam deglutito.

Ut autem postremum hoc facinus captu facile sit, Scheneri probatae fidei opusculo per Kakonerum edito, et Cavae cuipiam, ex judaica perfidia ad Christiana sacra Joannis studio converso credendum est (109), qui ambo percelebrem hunc hominem pleno per elementa dominio usum fuisse contendunt. Uno quippe vocis affatu restinguebat incendia, pestem coercebat, volitabat per aerem, arborum quoque culmina superando, aquis denique ipsis dominabatur. Hinc quidem fiebat, ut Sibarim flumen siccis pedibus quam saepissime transnataret. (110) Dum igitur quadam die per maris litus deambulabat, nescio quis ipsi retulit puerum ab marino monstro deglutitum fuisse. Continuo per aquas citato itinere gressus admovet, monstrum insequitur, illudque ut in maris ora tenellum vomeret puerum, cogit, quem illaesum moerentissimis parentibus, neque tanta sibimet auspicantibus, restituit (111). Verumtamen, si in admirandis hisce operibus inepte magnificatis diutius immoraremur, prolixiori taedium, molestiamque sermone afferremus.

Qui vero raptus in mentis excessu innumeris propemodum

(108) Schenerus in Vit. Itala pag. 141. *Mortuos omnino quatuor revocavit ad vitam.*

(109) Bonatius de prophetis sui temporis in vit. Ital. pag. 186. *Elementis, Creaturisque omnibus imperabat.* Cava hebraeus T. II. lat. p. 98. num. 10. *Meruit super universam naturam imperium, et rerum omnium ortus, interitusque divinus claviger potest vocari.* Vide de Archis ad Tom. I. lat. pag. 356.

(110) Vit. It. pag. 128. Schen. ibid. p. 141. *Super undas maris deambulare visus est.*

(111) Vit. Ital. ibid. Pappasidetus Tom. II. latin. pag. 80. *Piscem in alta tenentem spectans cursu maris fluctus tam celeri properavit, ut piscem brevi sit assequutus.*

Digitized by Google

dum vicibus! quot simulacra, Caelitum objecta oculis, quae futura divinata! quae cum supernis spiritibus acta colloquia! quae Christi ipsius Numinis manifestationes! ea sunt quippe omnia, quae in primis enitent in codicibus, libris, fragmentis, poematiis, caeterisque opusculis iis, quibus praecipue alter latinus tomus eminentius grandescit, inter quae principem facilius obtinent locum due ipsius Joannis opera, quorum unum Innocontio III., (112) alterum Gregorio IX. (113) Pontificibus indictum. Neque tamen Stocchius in hac machinatione vaferrima fabulis tantum se dedit, quin ad damnanda etiam prolapsus sit. Egimus quidem de vaticinio illo, Ecclesiam nempe Christi sanctissimam per quemdam regem ad vetera revocandam esse instituta haeresesque, quotquot sunt omnes, schismata, et errores Joannis virtute urgente, defuturos. (114) Ut autem luculentius aliquod exhibeamus desipientium specimen somniorum, adnotetur velim historia illa sceleris, et audaciae plena ab Lucio de Donato tradita, (115) quaeque ex latino sermone italice conversa in vitae commentario conscripta est (116). Promissum a Deo, continet fabulatio, Michaelis caelestium principis militum affatu, sylvestri fuisse homini intelligentiae, ac sapientiae spiritum, quo arcana quaeque sacrorum librorum mysteria comprehendere posset, jussumque ut XL. dierum spatio supplicationibus vacaret; quod sanctissima dona ab infinito tempore ipsi per Deum Spiritum parata dignius reciperet. Quo dierum termino exacto, Mosem, Eliamque antiquos Patres viro sapientissimo obvenisse, quem *propriam, veram plenamque* veteris Testamenti intelligentiam docuere, atque, ut id

f per

(112) Tom. II. latin. pag. 119.
(113) Ibidem pag. 150.
(114) Tom. II. latin. in proloquio pag. 4. et Donatus ex auctor. Beati Nili ibid. pag. 91.
(115) Tractatus Lucii de Donato in vita Ital. pag. 116., et sequen.
(116) Vita Ital. pag. 156., et seq.

peractum Christum Deum illius oculos sua esse dignatum praesentia, eamque in virum divino lateri adhaerentem lucem beatissimam immisisse, ut aperta quaeque abscondita, et verenda fidei plenissime intelligeret. Donum, hoc nomine infallibile, atque ineffabile dictum ab Stocchio ante saecula, ut diximus, ab Divino Spiritu Joanni jam praeparatum. (117)

Procacius tamen bacchatur Stocchius in proloquio, quod in secundi latini tomi (118) fronte inscriptum apparet, quum Fantinum S. Nili Monasterii Antistitem haec loquentem profert: *Quid opus est antiquorum prophetarum hebdomadaria indagine dona virtutesque scrutari? sit sermo .... circa viventis prophetae magni virtutes* (119). Quibus praepositis, cum prophetis Elia, Isaia, cum Joanne Baptista, Paulo, Augustino Joannem confert. Dementissimis hisce mendaciis fanaticus laudator totum adstruit proloquium, in quo ea quae ad altarium honores effictum Beatum attollere valeant documenta proferuntur. Arcanum quodnam divinitus patefactum, perque plura apocrypha monumenta repetitum, inter scripta ab Joanne exarata contentum quoque est; (120) illudque ab Stocchio ad trutinam, simul cum reliquis superum visionibus per tres Antistites jubente, probanteque Caelestino III. revocatum fuisse contenditur. (121)

Quae vero vaticinia dicuntur fatidico ore prolata, ipsam, eamdemque exhibent speciem, quam in eo novimus, quod de singulari Philippi IV. praestantia dictum jam supra expositum est. Caetera autem, quae futuri temporis respiciunt exi-

(117) Vita Ital. loc. cit. pag. 156. linea 13.

(118) Tom. II. latin. pag. 10.

(119) *Quid opus est antiquorum prophetarum hebdomadaria indagine dona, virtutesque scrutari? sit sermo ...... circa viventis prophetae virtutes magnus* ... Proloq. loc. cit. et Luciu, de Donato Tom.II lat p. 88.

(120) Libellus Visionum B. Joannis Calà ad Sanctissimum R. P. Innocentium III. T. II. lat. pag. 120., et seq.

(121) Vita Ital. pag. 157. in fine; consule insuper relationem ab nonnullis Episcopis jubente eod Pontif. exarat. in Tom. II. lat. Pag. 82.

exitum, quid sibi velint, dubium omnino, et incertum est, Eo enim sunt exornata artificio, tanta immo verborum commixtione, ac perturbatione contexta equivocis, dictionibus, propositionibus, tali demum arte elaborata, ut adsimiles versiculis illis videantur quos solent aetate hac nostra numerorum divinatores contexere artificioso verborum ambitu vanissimis futurarum rerum perscrutatoribus ipsorumque miserrimae credulitati per fraudem, jocumve inservientes.

Gravissimis tamen causis, ut tanta seu profata, seu visa effingeret mirabilia, atque ea testimoniis, et documentis subinde allatis exploratissima ut redderet, Sycophanta impellebatur omnia, quae callidae huic machinationi opponerentur evanescere ut faceret. Cui enim persuasum esse potuisset tot mirabilia peracta, tantam providentiam in regendis exercitibus, in committendis praeliis, atque in agminibus hostium superandis virtutem, totque, ipsa suffragante fortuna, ab Fratribus Calà, praesertim a Joanne redactas in potestatem imperii ditiones ita occultius delituisse, nullumque ex auctoribus, qui ad XVII. saeculi usque exitum condiderunt historias, haec facinora commemorasse, quamquam de Svevis loqui, et Henrici VI. Imperatoris facinora, propagatumque in Siciliis Imperium docere posteros conarentur. Eo tamen nodosae rei, implicataeque difficultas videbatur augeri, ut non credibile videri posset hominem per LXIV. annos Deo assidue continenti vitae sanctimonia vacantem, qui celebratissimus utique gentium, pulcherrimis virtutibus, editisque prodigiis enitens a summis quibusque litteratis Viris, plurimisque illius aevi Praesulibus, et suspectus fuerit, et necessitudine quadam conjunctus, qui insuper Regibus, et Imperatoribus admirationi, quinque Pont. Max. et potissimum Caelestino III. auxilio,

consilioque jam fuit, qui denique, Romana Sede jubente, diligentissime de vita, et moribus tentatus, probatusque est, ita delitescere potuisse, ut nulla extaret apud Pontificiam Sedem, nulla apud Antistites tantae virtutis recordatio, donec nova prorsus, atque ante hac inaudita tanti Viri facinora postica laude anno tandem MDCLX. in lucem impetu quodam repentino erupissent?

Objecta haec vidit deceptor ipse, animumque propterea adhaesit, qui ea dilueret, ad mirabilia quaeque divinata quam plurima conglobanda, ut obstrepens a Deo miraculum omnipotenti manu patratum perspectaremus. Infelicius tamen eo vota ipsi cessere ut calliditate in ipsa ridendus, despiciendusque videatur. Narrat enim, Schenero Lucio Donato, Angelo Primo, caeterisque hujus furfuris lutulentis in testes adhibitis, (122) sylvestrem hunc hominem, qui se inter plausus, laudesque concivium, et orbis pulcherrimas spectabat gloriosum, supplices Deo preces continenti animo porrexisse, ut obscurum nomen, ignotumque posteris delitesceret. Adfuit Deus precibus; data immo fides a Deo est per plura saecula; usque dum Alexander VII. rei sacrae summae praeficeretur, nihil de eo, quod praedicaretur fore. Tanti vaticicinium hoc fecit Stocchius, ut saepius illud in opere repeteret, quin ea ipsa in se objecta continere sentiret; quae rem omnem poterant mole ipsa sua deperdere. Si enim quod promissum a Superis est, sanctitatem hominis tantummodo respiciebat; eccur de prudentia ejus militari ne verbum quidem in libris? Si vero Deus falli, et fallere nescius promiserat, nihil omnino ab anno MCCLV. ad A. MDCL. in publicam lucem de Joanne proditurum; quo ergo pacto permisit, ut ipsius

(122) Schenerus in Vit. Ital. p. 142. 145. Lucius de Donato ibid. pag. 160. 161. Angelus primus p. 150. Beatus ipse in prophet. Vide ibid. pag. 159.

ipsius vitae admirabilis commentarius anno MCDLXXIII. typis ederetur? (123) Historias, vitasque illustrium virorum in vulgus cominus edici typis scimus. Laudes idcirco, gloriamque celebratissimi viri, converso Superum jussu saeculo XV. publici factas juris habemus. Obliterata ne id temporis viri Stocchiani memoria? Verum non heic tantum jussa superum neglecta sunt. Ipso enim incunte saeculo XVI. anno MDLX. typis impressus, ut Stocchius habet, Joannis Bonatii liber apparuit; (124) per quem ea commemorantur opera, jam in vulgus patefacta, queis vitam annuit Beati Calà contineri: et si fides Stocchio (125) anno MDXVIII. Thaumargia Smezii, in qua virtutes sylvestris hominis celebrantur Venetiis edita prodiit. Quibus in vulgus mediamque lucem proditis libris; quo stabit pacto percelebris illa vaticinatio, quae dimisso, humilique homini ad XVII. usque saeculum sua facinora virtutesque in occulto fore fidem jam dederat?

Si vero testatam renunciationem, quae in tomo vernacula lingua exarato, seu in vita Beati hominis inscripta apparet, aut apertior in secundo latini tomi proloquio continetur ad examen revocare velimus; probrosior certe haec tanta repugnantia videbitur. Procaci enim studio sycophanta laborans, ut qui effingebatur Joannes, dignus veneratione haberetur; illud asserere omnibus adorsus est animi viribus, et conatu; probationes omnes adesse, quibus a Pontificiae Sedis judicio solemni more in superum album conscribatur. Renunciatis inde Pontificum diplomatibus, quibus cautum est, ne quis beatus audiat, cuique caelitum habeatur honos, si nondum hanc dixerint sententiam Pontifices; hisce tamen interdictis Beatum Calà affirmat non subesse: quippe qui imme-

(123) Cit. supr. not. 6
(124) Vide sup. not. 7.
(125) Vide sup. not. 21.

memorabili voce a majoribus accepta continuo propalam ab omnibus, atque assidue fuerit excultus. Ad haec quae dixit confirmanda hominum illorum, qui beati titulo cohonestantur primo, Antistitum plerumque deinceps, populorum denique frequentissimorum contexuit elenchon, qui per plura saecula aevo succedente Joannem continuo vel Beatum dixere vel sunt venerati; idque protinus dicitur ab plerisque constanti fide existimatum fuisse. Dentur nunc haec omnia; habitusque, dictusque fuerit Beatus magnus hic Calà; at quaero, qua ratione tot relati auctores, qui posteriori tempore ab Joannis funere floruerunt, et vitae, et mirabilium ipsius operum historiam valuere contexere, si data erat e contrario ab superis, diversa sponsaque fides?

Missam siquidem faciamus auctorum multitudinem, opuscula, epistolas, fragmenta, poemata conscribentium, quorum tempora data opera latent. Testis apparet inter monumenta Nicolaus quidam coetui Beatorum a Stocchio adscriptus, quique summo sacerdotio Cassanensi anno MCCCXCII. potiebatur, (126) Angelus Grecus Martoranensis anno MCDLXIII. Antistes, Angelus Pappacoda Martoranensis item Antistes anno MDV. Bernardus Rossanensi praefectus Ecclesiae anno MDXXXIII. Paulus Manricola Ecclesiae Antistes Teanensis anno MDXXV. Franciscus denique Monacus, qui anno MDXCV. summum sacerdotium Martoranensis occupabat Ecclesiae. En Antistitum catalogon; quorum si vera ab Stocchio prodita testimonia, silentium a Deo promissum defuisse concedito. Plurimi quoque adsunt litterati viri, qui secreta haec temerarunt. Hi sunt praecipue Melenius, qui benedictis omnibus de Calà fuit loquutus anno MCCCIX. (127) Joannes Pappasi-

(126) De tempore horum Antistitum, consule Ughellium Ital. Sacr.

(127) Tom. I. latin. pag. 330. in fine epist. anno MCCCIX. et Tom. II. lat. pag. 83.

siderus Saeculo XIV. vitam agens, ut epistola quaepiam Michaeli Porco (quod nomen hujusmodi auctoribus bene convenit) aperte testatur; (128) Pontanus insuper, Pomponius Laetus (129) Tilesiusque (130), quorum, qui primi duo XV. postremus XVI. saeculo virtutibus, ac doctrina excellebant. Atque hi, atque alii virtutum, facinorumque meminerunt simulati hominis: quin immo Franciscus Monacus, quem diximus una cum Leone Materano Antistite, quae fuerant omnia fatidico ore ab celebratissimo, ac rarissimo viro praefata studuit commentariis illustrare (131), et Angelus Pappacoda pretiosam nactus est Crucem quamdam, quam ipse Calà in potestate sua jam habuerat, (132) quaque praesente dicebantur mirabilia patrari: Pontanus vero eo maxime affectus est gaudio, quod divinationem quamdam Joannis aetate sua adimpletam viderit; cujus laetitiae testis quaedam epistola ab ipso data (133). Testimonia haec tanta si tamen sylvestrem adstruunt hominem in honore, et veneratione per quatuor saecula adeo fuisse; quo cessit, quaeso, vaticinatio? Si tamen haec ita sint, cui captu facile erit, neminem de viro hoc celebratissimo, atque rarissimo, demptis iis, quos repertos, luceque primum anno MDCLX. donatos publici juris fecit Stocchius, ne uno quidem verbo loquutos esse?

Nolim autem quis credat tot, et tanta secum pugnantia, tot mendacia, tot scelera facillime exsufflari potuisse. Ego siquidem cum iis consentio, qui opus ea fuisse concinnatum arte

(128) Tom. II. latin. pag. 227. Ibi asseritur pronepotem fuisse Valerii Pappasideri Beato coaevi, ideoque ejusdem saeculi.
(129) Pontanus Tom. II. latin. pag. 203. Pomponius ibid pag. 41.
(130) Tom. I. latin. pag. 511.
(131) Tom. II. latin. pag. 237. 238.

(132) Tom II. latin. pag. 299. incipit: *In nomine, etc. anno millesimo quingentesimo quinto Pontificatus Clementis VII. anno II.* iterum in fine 1503. Vide singul. anachronismum.
(133) Loc. cit. supr. pag. 203.

arte putant, ut si unus ex iis, qui ad opus adstruendum manus admoverat, technam non patefecisset; perdifficile futurum fuisset, ut quae omnia in ipso sunt, falsa, atque improbanda existimarentur. Fefellit opus tot Recoguitores, qui id temporis doctissimi Neapoli habebantur, quorum diversa nomina cujusque operis in fronte conspiciuntur; quique monumenta fatentur authentica diligentissime perscrutatos se esse, quae optimam veritatis speciem haberent, certissimamqne fidem promererentur. Neque elogio caret opus Gregorii Carafae Antistitis Cassanensis Regiique Consiliarii, qui Deum per hunc sanctissimum virum tam bella, tamque illustria facinora praepotenti manu patrare voluisse fatetur. (134)

Equidem, si quae primas obtinent fallaciae ab immensa pene, seu schediasmatum, seu librorum farragine expeditae, atque opportune in unum collectae, ut per hasce adnotationes egimus, ridendae prorsus, despiciendaeque videntur; conglobatae e contrario, commistaeque tot, tantisque exploratissimis facinoribus, et testimoniis subinde notissimorum auctorum allatis, ubi operi inserviebant; testimonio deinde confirmatae scriptorum, quorum pars ficta, pars certa, et vera (eo tamen judicio, ut quae ex primis haberentur confirmationes, ad ipsam narrationis substantiam, quae ex caeteris tamquam per transennam praecipue narrationi commixta adhiberentur) compactae denique arte quadam cuique saeculo propria, imo, et imitatione non mala scriptorum, ipsorumque etiam errorum usu, poterant quidem hominem quemque in fraudem impellere. Nihil enim est, quod vafrius possit exarari. Quin etiam et indignum adnotatu est, deceptorem ipsum, qui Pontificiae Cathedrae verebatur sententiam, sub-

(134) Inter approbationes ad Tom. II. postremo loco.

Digitized by Google

subjecte, ac paulo studiosius illi assentatum fuisse, et Neapolis, Hispaniarumque Regi procacius adulatum fuisse, ne suspicio in ipsius animo exoriretur; quin immo, et sibi ipsum ut devinciret ea effingebat vaticinia, quae gratissima aulicis, probatissima populis viderentur. Haec sane omnia veritatem poterant, probationemque machinationis constituere, quae succedentibus annis in fidem a plerisque recepta difficillime cecidisset. Molestius quidem ferendum est in quibusdam bibliothecarum catalogis nonnulla caeteris immixta opera efficto-rum ab Stocchio auctorum recensitaque apparere, quin de ipsorum falsitate aliquid edicatur, uti ea sunt hisce titulis inscripta: *De rebus fortiter gestis a Joanne Calà, authore Bonatio. Processus vitae Joannis Calà, authore Martino Schener. Magistri Aliferii historia Svevorum*: superveniente quapropter aevo, epistolae, diplomata, donationes, hymni ac caetera quaeque alia authoribus jam notis attributa extrahi potuissent, ut authenticis caeteris eorumdem operibus adjungerentur. Optimum ergo fuit ut pro rei litterariae publicae veritate, ac pro sanctitate Ecclesiae ex ipso deceptorum ore detectio machinationis teterrimae in propatulo reddita sit, et solemniori indicta sententia ab Innocentio XI. Pontifice damnata.

Antequam vero saepius dictam Pontificis sententiam in mediam lucem proferamus, non abs re alienum existimo, quo pacto techna haec maledicta detecta, et devotionis testandae caussa damnata fuerit edisserere. Sunt qui putarunt ipsum Ferdinandum Stocchium, cujus mens, animusque exagitatus malefacti conscientia erat, summo fato, jam prope cessurum mendacium apertis verbis patefecisse (135). Verumtamen

(135) Ita adseritur, si fides rumori sit cuidam, qui penes plerosque obtinet; quodque ab nota quadam marginali, quae cuidam itali tomi exemplo adjuncta est, apertius confirmatur.

neque hisce sententiis protinus habenda fides; quamvis id cordi pro desiderio esse possit. Exploratissimum enim non esse videtur, machinationem hanc putidissimam ab Stocchio exorsam confictamque fuisse (136), quippe qui, si fides clariss. Soriae in memoriis historicis anno MDCLXI. (137) aut verius ut in additionibus adnotavit (138) MDCLXIII. fato percussus occubuit, et reliqui duo hujusce furfuris tomi anno MDCLXIV. typis lucem obtinuere. Quid plura? Anno MDCLXXVIII. in altiorem machinatio adducta fuit, ut videbimus, existimationem, quae tanti certe habita non fuisset, si anno MDCLXI. aut MDCLXIII. ab conditore ipso, institutoreque explicata omnis fallacia fuisset. Ratus est igitur Spiritus, (139) in cujus sententiam ivit et Sorias, (140) detectam technam hanc fuisse ab quodam Angelo a Matera patricio Cosentino, furfure in hoc contexendo Stocchio ipsi socio: quae si vera sententia, id tamen dicendum, Materam ipsum non in propatulo, aut jure facinus hoc fassum fuisse, sed arcano alicui concredito, atque dehinc sua morte defuncto ipsius nomen illegitime fuisse recognitum. Dicam ego, quae ex actis valui rescire, quae penes Tribunal inquirendae Fidei praepositum asservantur.

Primo vix operis tomo anno MDCLX. in lucem edito, suspicio exorta tunc Romae fuit, utrum ne veluti exploratissima

(136) Diximus not. 4. Stecchinium concivem, atque ipsi Stocchio equalem ejusdem vitae commentarium exarasse, qui nupertime typis donatus est, atque perversae quorumdam voluntati, ipsum Stocchium de tanto scelere reum dictum, habitumque fuisse, verbis tribuisse apertissimis. Atqui tamen fides huic testimonio praebenda? Exploratum ne habendum a nobis est, Stecchinium ipsum hujusmodi commentarii auctorem extare? Ea sane tanta prae oculis monumenta seu adulterina, seu efficta nobis insunt, ut de vita hac ambigi possit credamus, quae eodem loco, eodem quasi composita aevo, quum sit; facilius suspicionem in animo inferre posset, id unice ex ipsa moliri, ut sarta, tectaque fama defuncti jam Stocchii foret. Haec vero omnia eo dicta modo esse intelligantur, ut sententia Stecchinii neque uti falsa improbanda sit, neque uti vera credenda. Ea tamen Lector meminisse juvabit, quae de Stocchio ab Spirito dicta sunt.

(137) Vox Calà. Tom. I. pag. 114.

(138) Ibid ad II. Tom. adject. pag. 676.

(139) Memor. degli scrittori Cosentini pag. 155.

(140) Soria. loc. cit. pag. 114.

Digitized by Google

sima ea essent habenda facinora in ipso contenta, vetitumque ne deinceps qui duo reliqui edendi erant tomi praelo committerentur. Vel ignota haec sententia, vel despecta tunc fuit, quippe quia ambo ii tomi lucem publicam anno MDCLXV. aspexerunt. Ut primum id factum fuisse innotuit sententia cominus acta ab Tribunali inquirendae fidei praeposito, ademptumque Joanni Calà beatitatis nomen. Lata est haec sententia efflagitante Cardinali Crescentio Antistite Bituntino opere ad haec adhibito Canonici Hieronymi Balsami in ipsius Curia causarum actore VI. Id. Feb. MDCLXIV. quando reliqui tomi typis jam pressi fuerant, attamen nondum publici facti juris (141); denunciata haec relatio praeseferebat Canonicum Antonium Tangum Archiepiscopalis Neapolitanae Curiae Procuratorem (praeter quam quod vox quaepiam in hanc machinationem irruperat) dum Vicario munere Cassani fungebatur, ab Petro Justiniano Jesuita domo Chio certiorem fuisse factum, ipsi, dum cujusdam hominis confessionem scelerum excipiebat, qui inter furfuris hujus adnumerabatur conditores, hujusce rei detegendae factam fuisse potestatem; non tamen fatentis nomen patefacere posse. Hisce primum conceptis, ab Patrum inquirendae Fidei Consessu praeposito coepta cominus acta, quae deinceps schediasmatis quam plurimis huic consessui oblatis augebantur in dies, quaeque lumen etsi ad incoepta prosequenda praeberent, non ea tamen exploratissima habebantur, quippe quae minime essent subsignata, quod qui illa exarabat nomen sibi suum haud scribendum dicebat, ne occideretur. Caute interim, ac providenter in haec acta manus admovebantur; tum vero Hyacintus Micellius Cassani tunc temporis Vicarium obtinens

g 2 mu-

(141) Bolland. ad diem 15. April. Tom. II. pag. 105. Vide diem 25. Maji Tom, V. p. 254.

munus id ausus est, ut in Oppido Castrovillarum decretum ediderit quoddam (142) V. Id. Novemb. MDCLXXIII. quo sartam, tectamque existimandam esse jubebat Joanni Calà Beato venerationem, cultumque tributum; eo quod ab immemorabili pene tempore ipso Joanni haec omnia continuo habita fuerint. Impulit hoc facinus Patrum inquirendae Fidei praepositum consessum, ut acta contraherent, atque Innocentium XI. machinationis hujusce participem facerent, quo jubente V. Kal. Julias MDCLXXX. condemnationis decretum datum fuit quod in opere ab Benedicto XIV. composito quod ita habet inscriptum: *De Canonizatione Sanctorum*: relatum videre est (143). Quodque absolutum, nullaque ex parte imminutum, uti editum, publicatumque fuit ipsa met die, atque anno referre in animo est, ut legentium commodo inservire possimus, et rite denique adnotationes hasce absolvere valeamus.

(142) Vid. infra decret. S. Inquisit.

(143) Libr. II. cap. 8. num. 6.

Digitized by Google

Feria v. die 27. Junii 1680

In Congregatione generali S. Romanae, et Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico apud Sanctum Petrum coram Sanctissimo D. N. D. INNOCENTIO *Divina Providentia Papa XI. ac Eminentissimis, et Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus a Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.*

DELATO ad hanc Sacram Congregationem S. Officii decreto impresso Hyacinthi Micelli Vicarii Generalis Cassanensis, sub die 9. Novembris 1678. coram testibus in Oppido Castrivillarum, ut ibi asseritur, publicato, per quod idem Vicarius praesumpsit, aususque fuit definitive pronunciare, q. Joannem Calà jam diu defunctum assertum Anachoretam fuisse in quasi possessione cultus, atque ideo in ea manutenendum, et alias, prout in ipso decreto plenius continetur; cum eadem Sacra Congregatio, re mature discussa, specialiter hoc factum Sanctissimo D. N. INNOCENTIO Undecimo retulisset, Sanctitas Sua, votis Eminentissimorum DD. Cardinalium Inquisitorum Generalium auditis, enunciatum Vicarii Cassanensis decretum circumscribendo, uti nullum, nulliusque roboris, vel valoris haberi damnat, ac si nullatenus emanasset; praecipit insuper, omnem cultum, hactenus q. asserto Joanni Calà exhibitum, penitus tolli, et interdici, prout Sanctitas Sua praesentis decreti tenore tollit, et interdicit: ossa etiam, aliasque corporis partes, seu reliquias, quatenus è tumulo fuerint extracta, in sepulcro, ubi alia fidelium defunctorum cadavera quiescunt, recondi, et cum illis confundi, numquam inde amovenda, seu extrahen-

henda: imagines vero tam depictas, quam sculptas, vel impressas, ipsum Joannem Calà repraesentantes, prout et ejus vestes, aliasque reliquias extrinsecas; ab omnibus, ac singulis Ecclesiis, Oratoriis, Sacellis, et Altaribus omnino tolli, et amoveri: Diademata, radios, laureolas, titulum Beati, omnia quoque, ac singula sanctitatis, ac beatitudinis signa, vel indicia undequaque deleri, seu aboleri: libros, codices, et folia quaecumque, sive manuscripta, sive impressa, in quibus de praetensa ejusdem Joannis sanctitate, miraculis, vaticiniis, visionibus, aliisque hujusmodi signis tractatur, uti falsa, et apocrypha prorsus improbari. Quos etiam libros, codices, et folia, una cum omnibus, ac singulis transumptis, seu copiis, tam impressis, quam manuscriptis decreti a Vicario Cassanen., ut praefertur emanati, omnibusq. imaginibus, sive depictis, sive sculptis, aut impressis, eumdem Joannem quocumque sanctitatis, vel beatitudinis signo repraesentantibus, idem Sanctissimus prohibet, vetat, et interdicit; adeo ut nemini cujuscumque gradus, status, sexus, et conditionis existat, eosdem libros, codices, ac folia retinere, legere, imprimere, vel imprimi, sive transcribi curare, aut ad usum quomodolibet communicare; imagines vero cum aliquo sanctitatis, vel beatitudinis signo retinere, aut communicare ullatenus liceat, sed omnes, ac singuli a die publicationis hujus Decreti protinus teneantur locorum Ordinariis, vel haereticae pravitatis Inquisitoribus, libros, codices, folia, et imagines, quae hic interdicuntur, omni praetextu posthabito, exhibere. Quae omnia, et singula Sanctissimus D. N. districte praecipit, servarique omnino mandat, sub poenis in librorum prohibitorum Indice, ac in Decreto sa. me. Urbani Papae Octavi sub die 5. Maji 1639. contentis, aliisq.

gra-

Digitized by Google

gravioribus arbitrio Sanctitatis suae, ac hujus Sacrae Congregationis.

Loco ✠ Sigilli.

Franciscus Riccardus Sanctae Romanae,
et Universalis Inquisitionis Notarius.

Die, mense, et anno quibus supra, supradictum Decretum affixum, et publicatum fuit ad valvas Basilicae Principis Apostolorum, Palatii Sancti Officii, ac aliis locis solitis, et consuetis Urbis per me Franciscum Perinum SS. D. N. PP. et Sanctiss. Inquisitionis Cursorem.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III · NAPOLI

Digitized by Google